abſimilis illa, quæ frequentiſsime agitari ſolet: fideiuſſor an & prius, quã ſoluat, agere poſsit, vt liberetur. nec tamen ſemper exſpectandum eſt, vt ſoluat, aut iudicio accepto condemnetur, ſi diu in ſolutione rem ceſſabit, aut certe bona ſua diſsipabit: præſertim ſi domi pecuniam fideiuſſor non habebit: quia numerata creditori, mandati actione conueniat.

39. *Neratius* libro 7. Membranarum.

ET Ariſtoni, & Celſo patri placuit, poſſe rem hac condicione deponi, mandatúmque ſuſcipi, vt res periculo eius ſit, qui depoſitum, vel mandatum ſuſcepit. quod & mihi verum eſſe videtur.

40. *Paulus* libro 9. ad Edictum.

SI pro te præſente, & vetante fideiuſſerim: nec mandati actio, nec negotiorum geſtorum eſt. ſed quidam vtilem putant dari oportere: quibus non conſentio. ſecundùm quod & Pomponio videtur.

41. *Gaius* libro 3. ad Edictum Prouinciale.

POteſt & ab vna dumtaxat parte mandati iudicium dari. nam ſi is, qui mandatum ſuſcepit, egreſſus fuerit mandatum: ipſi quidem mandati iudicium non competit: at ei, qui mandauerit, aduerſus eum competit.

42. *Vlpianus* libro 11. ad Edictum.

SI mandauero tibi, vt excuteres vires hereditatis: & tu, quaſi minor ſit, eam à me emeris: mandati mihi teneberis. Tantundem, & ſi tibi mandaui, vt vires excuteres eius, cui eram crediturus: & renuntiaueris, eum idoneum eſſe.

43. *Idem* libro 25. ad Edictum.

QVi mandatum ſuſcepit, vt pecunias in diem collocaret, iſque hoc fecerit, mandati conueniendus eſt, vt cum dilatione temporis actionibus cedat.

44. *Idem* libro 62. ad Edictum.

DOlus eſt, ſi quis nolit perſequi, quod perſequi poteſt: aut ſi quis non exegerit, quod exigere, ſoluere.

45. *Paulus* libro 5. ad Plautium.

SI mandatu meo fundum emeris: vtrùm, cùm dederis pretium, ageres mecum mandati: an & antequàm des, ne neceſſe habeas res tuas vendere? & recte dicitur, in hoc eſſe mandati actionem, vt ſuſcipiam obligationem, quæ aduerſus te venditori competit. nam & ego tecum agere poſſum, vt præſtes mihi aduerſus venditorem empti actiones.

1 ¶ Sed ſi mandatu meo iudicium ſuſcepiſti: manente iudicio, ſine iuſta cauſa non debes mecum agere, vt transferatur iudiciũ in me. nondum enim perfeciſti mandatum. 2 ¶ Item ſi, dum negotia mea geris, alicui de creditoribus meis promiſeris: & antequam ſoluas, dicendum eſt, te agere poſſe, vt obligationem ſuſcipiam: aut, ſi nolit creditor obligationem mutare: cauere tibi debeo, defenſurum te. 3 ¶ Si iudicio te ſiſti promiſero, nec exhibuero, & antequàm præſtem, mandati agere poſſum, vt me liberes: vel ſi pro te reus promittendi factus ſim. 4 ¶ Sed ſi mandauero tibi, vt creditori meo ſoluas, túque expromiſeris, & ex ea cauſa damnatus ſis: humanius eſt, & in hoc caſu mandati actionem tibi competere. 5 ¶ Quotiens autem ante ſolutam pecuniam mandati agi poſſe diximus: faciendi cauſa, non dandi, tenebitur reus & eſt æquum: ſicut mandante aliquo actionem nacti, cogimur eam præſtare iudicio mandati, ita ex eadem cauſa obligatos, habere mandati actionem, vt liberemur. 6 ¶ Si fideiuſſor multiplicauerit ſummam, in quam fideiuſsit, ſumptibus ex iuſta ratione factis: totam eam præſtaVit is, pro quo fideiuſsit. 7 ¶ Quod mihi debebas, à debitore ſtipulatus ſum periculo tuo, poſſe me agere tecum mandati in id, quo minùs aV illo ſeruare potero, Nerua, Atilicinus aiunt: quamuis id mandatum ad tuam rem pertineat. & meritò. tunc enim liberatur is, qui debitorem delegat, ſi nomen eius creditor ſecutus eſt: non cùm periculo debitoris ab eo ſtipulatur.

7 ¶ Idem iuris eſt, ſi mandatu fideiuſſoris cum reo egiſſem: quia ſequenti mandato liberaretur ex priore cauſa.

46. *Idem* libro 74. ad Edictum.

SI quis pro eo ſpoponderit, qui ita promiſit, *ſi Stichum non dederit, centum milia daVis*: & Stichum redemerit vilius, & ſoluerit, ne centum milium & ſtipulatio committatur: conſtat, poſſe eum mandati agere. Igitur commodiſsime illa forma in mandatis ſeruanda eſt: vt, quotiens certum mandatum ſit, recedi à forma non debeat. at quotiens incertum, vel plurium cauſarum, tunc licet aliis præſtationibus exſoluta ſit cauſa mandati, quàm quæ ipſo mandato inerant: ſi tamen hoc mandatori expedierit, mandati erit actio.

47. *Pomponius* libro 3. ex Plautio.

IVlianus ait, ſi fideiuſſori vxor doti promiſerit, quod ei ex cauſa fideiuſſoria debeat, nuptiis ſecutis, coMfeſtim mandati aduerſus debitorem agere eum poſſe. qui intelligitur abeſſe ei pecunia, eo quòd onera matrimonij ſuſtineret. 1 ¶ Si is, qui pro te hominem dare fideiuſsit, alienum hominem ſtipulatori dederit: nec ipſe liberatur, nec te liberat. & ideo mandati actionem tecum non habet. Sed ſi ſtipulator eum hominem vſuceperit: dicendum eſſe Iulianus ait, liberationem contingere. ergo caſu mandati actio poſt vſucapionem demum tecum erit.

48. *Celſus* libro 7. Digeſtorum.

QVintus Mucius Scæuola ait: ſi quis ſub vſuris creditam pecuniam fideiuſsiſſet, & reus in iudicio conuentus cùm recuſare vellet, ſub vſuris creditam eſſe pecuniam, & fideiuſſor ſoluendo vſuras poteſtatem recuſandi eas reo ſuſtuliſſet: eam pecuniam à reo non petiturum. Sed ſi reus fideiuſſori denuntiaſſet, vt recuſaret, ſub vſuris debitam eſſe, nec is, propter ſuam exiſtimationem, recuſare voluiſſet: quod ita ſoluerit, à reo petiturum. Hoc Véne cenſuit Scæuola. parum enim fideliter facit fideiuſſor in ſuperiore caſu, quod poteſtatem eximere reo videtur, ſuo iure vti. ceterùm in poſteriore caſu non oportet, eſſe noxiæ fideiuſori, ſi ipſe PErciſſet pudori ſuo. 1 ¶ Cùm mando tibi, vt credendo pecuniam, negotium mihi geras, mihique id nomen præſtes, meum in eo periculum, meum emolumentum ſit: puto, mandatum poſſe conſiſtere.

2 ¶ Ceterùm vt tibi negotium geras, tui arbitrij ſit nomen, id eſt vt cuius credas, tu recipias vſuras, periculum duntaxat ad me pertineat: iam extra mandati formam eſt. quemadmodum ſi mandem, vt mihi quemuis fundum emas.

49. *Marcellus* libro 6. Digeſtorum.

SEruum Titij emi ab alio bona fide, & poſſideo: mandatu meo eum Titius vendidit, cùm ignoraret ſuum eſſe. vel contrà, ego vendidi illius mandatu, cùm forte is, cui heres exſtiterit, eum emiſſet, de iure euictionis, & mandato quæſitum eſt. & puto, Titium, quamuis quaſi procurator vendidiſſet, obſtrictum emptori, neque ſi rem tradidiſſet, vindicationem ei concedendam. & idcirco mandati agere poſſe, ſi quid eius interfuiſſet: quia forte venditurus non fuerit. Contra mandator, ſi rem aV eo vindicare velit, exceptione doli ſummouetur: & aduerſus venditionem teſtatoris ſui habet ex empto, iure hereditario, actionem.

50 *Celſus* libro 38. Digeſtorum.

SI is, qui negotia fideiuſſoris gereVat, ita ſoluit, ſtipulatori, vt reum, fideiuſſorémque liberaret, idque vtiliter fecit: negotiorum geſtorum actione fideiuſſorem habet obligatum, nec refert, ratum habuit, necne. Fideiuſſor etiam antequàm ſolueret procuratori pecuniam ſi ratum



habuiſſet, haberet tamen mandati actionem. 1 ¶ Siue, cùm frumentum deberetur, fideiuſſor Africum dedit, ſiue quid ex neceſsitate ſoluendi plus impendit, quàm eſt pretium ſolutæ rei, ſiue Stichum ſoluit, iſque deceſsit, aut deVilitate, flagitióre ad nullum pretium ſui redactus eſt: id mandati iudicio conſequeretur.

51. *Iauolenus* libro 9. ex Caſsio.

FIdeiuſſor, quamuis per errorem ante diem pecuniam ſoluerit, petere tamen ab eo non poteſt. ac ne mandati quidem actionem, antequam dies ſoluendi veniat, cum reo habebit.

52. *Idem* libro 1. Epiſtularum.

FIdeiuſſorem, ſi, ſine adiectione bonitatis tritici, pro altero triticum ſpopondit, quodlibet triticum dando, reum liberare poſſe exiſtimo. à reo autem non aliud triticum repetere poterit, quàm quo peſsimo tritico liberare ſe à ſtipulatore licuit. itaque ſi paratus fuerit reus, quod dando ipſe creditori liberari potuit, fideiuſſori dare, & fideiuſſor id, quod dederit, (id eſt melius triticum) condicet: exceptione eum doli mali ſummoueri exiſtimo.

53. *Papinianus* libro 9. Quæſtionum.

QVi fide alterius pro alio fideiuſsit præſente & non recuſante: vtroſque obligatos habet iure mandati. quòd ſi pro inuito, vel ignorante, alterutrius mãdatum ſecutus fideiuſsit: cum ſolum conuenire poteſt, qui mandauit, non etiam reum promittendi: nec me mouet, quod pecunia fideiuſſoris reus liberetur. id enim contingit, etſi meo mandato pro alio ſoluat.

54 *Idem* libro 27. Quæſtionum.

CVm ſeruus extero ſe mandat emendum nullum mandatum eſt. Sed ſi in hoc mandatum intercesſit, vt ſeruus manumitteretur, nec manumiſerit: & pretium conſequetur dominus vt venditor: &, affectus ratione, mandati agetur. finge filium naturalem, vel fratrem eſſe. placuit enim prudentioribus, affectus rationem in bonæ fidei iudiciis habendam. Quod ſi de ſuis nummis emptor pretium dederit: (neque enim aliter iudicio venditi liberari poteſt) queri ſolet, an vtiliter de peculio agere poſſit. & verius, & vtilius videtur, prætorem de huiuſmodi contractibus ſeruorum non cogitaſſe: quo ſe ipſi mala ratione dominis auferunt. 1 ¶ Si liber homo bona fide ſeruiens, redimi ſe mandauerit, idque nummis emptoris factum ſit, contraria mandati actione agi poſſe, conſtat. vt tamen actiones præſtentur, quas habet emptor aduerſus venditorem. finge, non manumiſiſſe liberam perſonã emptorem.

55. *Idem* libro 21. Reſponſorum.

PRocurator, qui non res incluſas ſubtraxit, ſed traditas non reddidit, iudicio mandati, non furti tenetur.

56. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

QVi mutuam pecuniam dari mandauit: omiſſo reo promittendi, & pignoribus non diſtractis, eligi poteſt. quod vti liceat, ſi litteris exprimatur: diſtractis quoque pignoribus, ad eum creditor redire poterit. etenim quæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, ius commune non lædunt.

1 ¶ Fideiuſſor, qui pecuniam in iure optulit, & propter ætatem eius, qui petebat obſignauit, ac publice depoſuit, coMfeſtim agere mandati poteſt.

2 ¶ Non ideò minus omnis temporis bonam fidem explorari oportet, quod dominus poſt annos quinque prouincia reuerſus, mox reipublicæ cauſa profecturus, non acceptis rationibus mandatum inſtaurauerit. cùm igitur ad officium procuratoris pertinuerit, quidquid ex prima negotiorum geſtorum adminiſtratione debuit, ad ſecundam rationem transferre, ſecundi temporis cauſa priorem litem ſuſcipiet.

3 ¶ Salarium incertæ pollicitationis neque extraordinem recte petitur, neque iudicio mandati, vt ſalarium tibi conſtituat.

4 ¶ Sumptus bona fide neceſſario factos, etſi negotio finem adhibere procurator non potuit, iudicio mandati reſtitui neceſſe eſt.

57. *Idem* libro 10. Reſponſorum.

MAndatum diſtrahendorum ſeruorum, defuncto, qui mandatum ſuſcepit, intercediſſe conſtitit. Quoniam tamen heredes eius errore lapſi, non animo furandi, ſed exſequendi, quod defunctus ſuæ curæ fecerat, ſeruos vendiderant: eos ab emptoribus vſucapi videri placuit. ſed venaliciarium ex prouincia reuerſum, Publiciana actione non vtiliter acturum: cùm exceptio iuſti dominij, cauſa cognita, detur: neque oporteat eum, qui certi hominis fidem elegit, ob errorem, aut imperitiam heredum, adfici damno.

58. *Paulus* libro 5. Quæſtionum.

SI præcedente mandato, Titium defenderas: quamuis mortuo eo cùm hoc ignorares: ego puto, mandati actionem aduerſus heredem Titij competere: quia mandatum morte mandatoris, non etiã mandati actio ſoluitur. Quod ſi ſine mandatu defenſionem ſuſcepiſti, negotium quodammodo defuncti gerere inſtitueras. & quemadmodum, ſi illum liberaſſet, competeret tibi negotiorum geſtorum actio: ita poteſt dici, & heredem eius eadem actione teneri.

1 ¶ Lucius Titius creditori ſuo mandatorem dedit. deinde defuncto debitore, maiore parte creditorum conſentiente, à prætore, decretum eſt, vt portionem creditores ab heredibus ferant, abſente eo creditore, apud quem mandatur, exſtiterat. quæro, ſi mandator conueniatur, an eandem habeat exceptionem, quam heres debitoris. reſpondi: Si præſens apud prætorem ipſe quoque conſenſiſſet, pactus videtur iuſta ex cauſa: eaque exceptio. & fideiuſſori danda eſſet, & mandatori. ſed cum propoñas, eum afuiſſe: iniquum eſt, auferri ei electionem, ſicut pignus, aut priuilegium, qui potuit præſens idipſum proclamare, nec deſiderare decretum prætoris. nec enim, ſi quis dixerit ſummouendum creditorem, heredi conſulitur: ſed mandatori, vel fideiuſſori, quibus mandati iudicio eandem partem præſtaturus eſt plane ſi ab herede partem accepiſſet, an in reliquum permittendum eſſet creditori fideiuſſorem conuenire, dubitatum eſt. ſed videVitur conſentire decreto, conueniendo heredem.

59. *Idem* libro 4. Reſponſorum.

SI mandatu Titij Calpurnius pecuniam, quam Titius credebat, ſtipulatus eſſet non donandi animo: mandati iudicio eum ab herede Titij poſſe conueniri, vt actiones ſuas præſtet. Idem eſt, & ſi exacta eſt à Calpurnio pecunia.

1 ¶ Paulus reſpondit, fideiuſſorem, qui rem pignoris iure obligatam à creditore emit, mandati iudicio conuentum ab herede debitoris, ablato eo omni debito, reſtituere cum fructibus cogendum. neque habendum ſimilem extraneo emptori: cum in omni contractu bonam fidem præſtare debeat.

2 ¶ Paulus reſpondit, die adiecto in mandato, intra quem præſtaturum ſe Lucius Titius ſcripſit, nõ eſſe impedimento, quo minus etiam poſt eum diem conueniri mandati iudicio poſſit.

3 ¶ Paulus reſpondit, vnum ex mandatoribus in ſolidum eligi poſſe, etiam ſi non ſit conceſſum in mandato. poſt condemnationem autem in duorum perſonam collatam, neceſſario ex cauſa iudicati ſingulos pro parte dimidia conueniri poſſe, & debere.

4 ¶ Creditor pignus vendidit quæro, an ſi euicta ſit, poſſeſſio emptori, regreſſum creditor ad mandatorem habere poſſit: & an interſit creditoris iure vendiderit, an communi iure promiſerit. Paulus

T

reſpondit, ſi creditor ex pretio pignorum debitum conſecuturus non ſit, mandatorem liberum non videri. Ex hoc reſponſo apparet, ſi euictionis nomine non teneatur, proficere eam rem ad liberationem. 5 ¶ *Ille illi ſalutem. Mando tibi, vt Blaſio Seuero, adfini meo octoginta credas, ſub pignore illo, & illo: in quã pecuniam, & quidquid vſurarum nomine acceſſerit, indemnem rationem tuam me eſſe, ex cauſa mandati, in eum diem, quoad vixerit Blaſius Seuerus, præſtaturum.* poſtea ſæpe conuentus mandator, non reſpondit. Quæro, an morte debitoris liberatus ſit. Paulus: reſpondit, mandati obligationem perpetuam eſſe: licet in mãdato adiectum videatur, indemnem rationem tuam eſſe, ex cauſa mandati, in eum diem, quoad vixerit Blæſius Seuerus præſtaturum. 6 ¶ Paulus reſpondit, non videri mandati condicione paritum, cùm in mandato adiectum ſit, vt idonea cautio à debitore exigeretur, ſi neque fideiuſſor, neque pignora accepta ſint.

60. *Scæuola* libro 1 Reſponſorum.

CReditorem mandatorum conuenit, is condemnatus, prouocauit. quærendum eſt an manente appellatione debitor à creditore conueneri poteſt. reſpondi, poſſe. 1 ¶ Ad eum, qui vxorem ducturus erat, litteras fecit tales: *Titius Seio ſalutem. A Semproniam pertinere ad animum meum cognouiſti. ideoque cùm ex voto meo nuptura tibi ſit: velim, certus ſis, ſecundum dignitatem tuam contrahere te matrimonium. & quamuis idoneè repromiſſuram tibi Titiam matrem puellæ dotem ſciam: tamen & ipſe, quò magis conciliem animum tuum domui meæ, fidem meam interponere non dubito. Quare ſcias, quodcumque ab ea ex hac cauſa ſtipulatus fueris, id me mea fide eſſe iuſſiſſe, ſaluum te habiturum.* atque ita Titia, quæ neque Titio mandauerat, neque ratum habuerat quòd ſcripſerat, dotem Seio promiſit. Quæro, ſi heres Titij ex cauſa mandati præſtiterit, an actione mandati heredem Titiæ cõuentre poteſt. reſpondi, ſecundum ea, quæ proponuntur: non poſſe. Item quæſitum eſt, an nec negotiorum geſtorum. reſpondi, nec hoc nomine iure agere poſſe. palam enim facere Titium, non tam Titiæ nomine, quàm, quòd conſultum vellet, mandaſſe. Item, ſi maritus aduerſus mandatorem ageret, an aliqua exceptione ſummoueatur? reſpondi, nihil proponi, cur ſummouendus ſit. 2 ¶ Duobus quis mãdauit negotiorum adminiſtrationem. quæſitum eſt, an vnuſquiſque mandati iudicio in ſolidum teneatur. reſpondi, vnumquemque pro ſolido conueniri debere: dummodo ab vtroque non amplius debito exigatur. 3 ¶ Si inter maritum & ſocerum id actum eſſet vel tacito intellectu, vt onus exhibendæ vxoris ad maritum rediret, præſtante patre dotis vſuras: nullam actionem ſuperfore ad recipiendum, quod negetur conſumptum. quòd ſi pater puellæ exhibitionem mandaſſe ſe doceat, actionem mandati competere. 4 ¶ Lucius Titius fratris filio cõmiſit rerũ ſuarũ adminiſtrationẽ ita: Σείῳ τέκνῳ χαίρειν. ἐγὼ μὲν κατὰ φύσιν εἶναι νομίζω, τὸ ὑπὲρ πατρὸς, καὶ τῶν τοῦ πατρὸς υἱῶν πραγματεύεσθαι, δίχα τοῦ τινὰ ἐπιτροπικὸν αἰτεῖν. εἰ δὲ δεῖ καὶ τοιούτου τινὸς ἐπιτρέπω σοι, περὶ πάντων ἐμῶν, ὡς θέλεις, πραγματεύεσθαι· εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε ὑποτίθεσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὁτιοῦν πράττειν, ὡς κυρίῳ ὄντι τῶν ἐμῶν· ἐμοῦ πάντα κύρια εἶναι τὰ ὑπὸ σοῦ γινόμενα ἡγουμένου, καὶ μηδὲν ἀντιλέγοντος σοι πρὸς μηδεμίαν πρᾶξιν. id eſt, *Titio filio ſuo S. Ego quidem ſecundum naturã eſſe exiſtimo, pro patre & patris filiis negotiari ſine aliqua conceſſionis inquiſitione. ſi autem neceſſitas alicuius talis erit: concedo tibi de omnibus meis, vt vis, negotiari: ſiue vendere vis, ſiue paciſci, ſiue emere, ſiue quodcumq. operari vt domino cui meorum: me omnia firma eſſe à te facta exiſtimãte. & non contrarium dicente tibi ad vllam operationem.* Quæſitum eſt, ſi quid non adminiſtrandi animo ſed fraudulenter alienaſſet, vel mandaſſet, an valeret. reſpondi, eum de quo quæreretur, plene quidem, ſed quatenus res ex fide agenda eſſet, mandaſſe. Item quæro: an, cùm Seius magiſtratu functus, debitor extitiſſet, Lucius Titius eo nomine conueniri poſſit, vel res eius obligatæ eſſent, propter verba epiſtulæ ſuprâſcripta? reſpondi, neque conueniri poſſe, neque res obligatas eſſe.

61. *Paulus* libro 2. ad Neratium.

QVod filiofamilias, vt peteret, mandauit: emancipatus exegit. de peculio intra annum vtiliter agam. Paulus: Sed & cum filio agendum eſt.

62. *Scæuola* libro 6. Digeſtorum.

CVm controuerſia eſſet de hereditate defuncti, inter ſcriptum heredem, & patruum Mæuium, & amitas: Mæuius, litteris ad ſorores ſuas factis, declarauit, commune futurum, quidquid ad eum ex euentu litis hereditariæ perueniſſet: neque ſtipulatio litteras ſecuta eſt, quæſitum eſt, cùm tranſegerit idem Mæuius cum ſcripto herede, ita vt prædia, & aliæ quædam res ex ea tranſactione ad eum peruenirent, an ex litteris ſuis poſſit à ſororibus conueniri. reſpondit, poſſe. 1 ¶ Mandaui in hæc verba: *Lucius* Titius Gaio ſuo ſalutem. Peto, & mando tibi, vt fidem dicas pro Publio Mæuio apud Sempronium. quæque à Publio ſoluta tibi non fuerint, me repræſentaturum hac epiſtula, manu mea ſcripta, notum tibi facio. quæro, ſi non fideiuſſiſſet, ſed mandaſſet creditori, & alias egiſſet, quàm quod ei mandatum eſſet: an actione mandati teneretur. reſpondit, (teneri).

## PRO SOCIO.

## TIT. II.

*Paulus* libro 32. ad Edictum.

SOcietas coiri poteſt vel in perpetuum, id eſt, dũ viuunt, vel ad tempus, vel ex tempore, vel ſub cõdicione. 1 ¶ In ſocietate omnium bonorum omnes res, quæ coëuntium ſunt, continuo communicantur.

2. *Gaius* libro decimo ad Edictum Prouinciale.

QVia licet ſpecialiter traditio non interueniat, tacita tamen creditur interuenire.

3 *Paulus* libro 32. ad Edictum.

EA verò, quæ in nominibus erunt, manent in ſuo ſtatu: ſed actiones inuicem præſtare debent. 1 ¶ Cùm ſpecialiter omnium bonorum ſocietas coita eſt: tunc & hereditas, & legatum, & quod donatum eſt, aut quaqua ratione adquiſitum, communioni adquiretur. 2 ¶ De illo quæritur, ſi ita ſocietas, vt, ſi qua iuſta hereditas alterutri obuenerit, communis ſit: quæ iuſta hereditas: vtrùm quæ iure legitimo obuenit, an etiam ea, quæ teſtamento. & proVabilius eſt, ad legitimam hereditatem tantùm hoc pertinere. 3 ¶ Societas, ſi dolo malo, aut fraudandi cauſa coita ſit, ipſo iure nullius momenti eſt. quia fides bona contraria eſt fraudi, & dolo.

4. *Modeſtinus* libro 3. Regularum.

SOcietatem coiri & re, & verbis, & per nuntium poſſe nos, dubium non eſt. 1 ¶ Diſſociamur renuntiatione, morte, capitis minutione, & egeſtate.

5. *Vlpianus* libro 31. ad Edictum.

SOcietates contrahuntur ſiue vniuerſorum bonorum, ſiue negotiationis alicuius, ſiue vectigalis, ſiue etiam rei vnius. 1 ¶ Societas autem coiri poteſt, & valet etiam inter eos, qui non



ſunt æquis facultatibus: cùm plerumque pauperior opera ſuppleat, quantum ei per comparationem patrimonij deeſt. 2 ¶ Donationis cauſa ſocietas recte non contrahitur.

6. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

SI ſocietatem mecum coieris ea condicione, vt partes ſocietatis conſtitueres: ad boni viri arbitrium ea res redigenda eſt: & conueniens eſt viri boni arbitrio, vt non vtique ex æquis partibus ſocij ſimus: veluti ſi alter plus operæ, induſtriæ, pecuniæ in ſocietatem collaturus ſit.

7. *Vlpianus* libro 30 ad Sabinum.

COiri ſocietatem & ſimpliciter licet, &, ſi non fuerit diſtinctum, videtur coita eſſe vniuerſorum, quæ ex quæſtu veniunt. hoc eſt, ſi quod lucrum ex emptione, venditione, locatione, conductione deſcendit.

8. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

QVæſtus enim intelligitur, qui ex opera cuius deſcendit.

9 *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

NEc adiecit Sabinus, hæreditatem, vel legatum vel donationes mortis cauſa, ſiue non mortis cauſa. fortaſſis hæc ideo, quia non ſine cauſa obueniunt, ſed ob meritum aliquod accedunt.

10. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

ET quia plerumque vel à parente, vel à liberto, quaſi debitum nobis hæreditas obuenit.

11. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

ET ita de hereditate, legato, donatione Quintus Mucius ſcribit.

12. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

SEd nec æs alienum, niſi quod ex quæſtu pendebit: veniet in rationem ſocietatis.

13. *Idem* libro 32. ad Edictum

SEd & ſi adiciatur, vt & quæſtus, & lucri ſocij ſint: verum eſt, non ad aliud lucrum, quàm quod ex quæſtu venit, hanc quoque adiectionem pertinere.

14. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

SI conuenerit inter ſocios, ne intra certum tempus communis res diuidatur: non videtur conueniſſe, ne ſocietate abeatur. quid tamen, ſi hoc conuenit, ne abeatur? an valeat? eleganter Pomponius ſcripſit, fruſtra hoc conuenire. nam, etſi non conuenit, ſi tamen intempeſtiuè renuntietur ſocietati, eſſe pro ſocio actionem, ſed etſi conuenit, ne intra certum tempus ſocietate abeatur, & ante tempus renuntietur: poteſt rationem habere renuntiatio. nec tenebitur pro ſocio. qui ideò renunciauit, quia condicio quædam, qua ſocietas erat coita, ei non præſtatur aut quid, ſi ita iniurioſus, & damnoſus ſocius ſit: vt non expediat, eũ pati?

15. *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

VEl quòd ea re frui non liceat, cuius gratia negotiatio ſuſcepta ſit?

16. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

IDémque erit dicendum, ſi ſocius renuntiauerit ſocietati, qui reipublicæ cauſa diu & inuitus ſit afuturus. quamuis nonnunquam ei obici poſſit, quia potuit & per alium ſocietatem adminiſtrare, vel ſocio committere. ſed hoc non aliàs, niſi valde ſit idoneus ſocius, aut facilis afuturo etiam per alium ſocietatis adminiſtratio. 1 ¶ Qui igitur paciſcitur, ne diuidat, niſi aliqua iuſta ratio intercedat: nec vendere poterit, nec alia ratione efficiet, vt diuidatur. ſed ſanè poteſt dici, venditionem quidem non impediri, ſed exceptionem aduerſus emptorem locum habere, ſi ante diuidat, quàm diuideret is, qui vendidit.

17. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

SEd & ſocius, qui alienauerit, contra pactionem accipit, committit, & tenetur ſocietatis, aut cõmuni diuidundo iudicio. 1 ¶ Si abſenti renuntiata ſocietas ſit: quoad is ſcierit. quod is adquiſiuit, qui renuntiauit, in commune redigi: detrimentum autem ſolius eius eſſe, qui renuntiauerit: ſed quod abſens adquæſiit, ad ſolum eum pertinere, detrimentum ab eo factum commune eſſe. 2 ¶ In ſocietate autem coëunda nihil attinet de renuntiatione cauere eundem: quia ipſo iure ſocietatis intempeſtiua renuntiatio in æſtimationem venit.

18. *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

SI ſeruus ſocietatem coierit: non ſufficiet, ſi iubeatur à domino ſeruus abire à ſocietate: ſed ſocio renuntiandum eſt.

19. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

QVi admittitur ſocius: ei tantùm ſocius eſt, qui admiſit. & rectè: cùm enim ſocietas conſenſu contrahatur: ſocius mihi eſſe non poteſt, quem ego ſocium eſſe nolui. quid ergo, ſi ſocius meus eum admiſit? ei ſoli ſocius eſt.

20 *Idem* libro 31. ad Edictum.

NAm ſocij mei ſocius, meus ſocius non eſt.

21. *Idem* libro 30. ad Sabinum.

ET quidquid fuerit de ſocietate noſtra conſecutus: cum illo, qui eum adſumpſit, communicauit: nos (ei) cum eo non communicauimus: ſed factum eius præſtabitur ſocietati: id eſt, aget ſocius, & ſocietati præſtabit, quod fuerit conſecutus.

22 *Gaius*, libro decimo ad Edictum Prouinciale.

EX contrario factum quoque ſociorum debet ei præſtare, ſicuti ſuum: quia ipſe aduerſus eos habet actionem. Item certum eſt, nihil vetare, prius (quàm) inter eum, qui admiſerit, & eum, qui admiſſus fuerit, ſocietatis iudicio agi, quàm agi incipiat inter ceteros, & eum, qui admiſerit.

23. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

DE illo Pomponius dubitat: vtrùm actionem cum mandare ſociis ſufficit, vt, ſi facere ille non poſſit, nihil vltra ſociis præſtet: an verò indemnes eos præſtare debeat, & puto, omnimodo eum teneri eius nomine, quem ipſe ſolus admiſit. quia difficile eſt negare, culpa ipſius admiſſum. 1 ¶ Idem quærit, an commodum, quod propter admiſſum ſocium acceſſit, compenſari cum damno, quod culpa præbuit, debeat. & ait, compenſandum. quod non eſt verum. nam & Marcellus libro ſexto digeſtorum ſcribit: ſi ſeruus vnius ex ſociis, ſocietati à domino præpoſitus, negligenter verſatus ſit: dominum ſocietati, qui propoſuerit, præſtaturum: nec compenſandum commodum, quod per ſeruum ſocietati acceſſit, cum damno. & ita Diuum Marcum pronuntiaſſe. nec poſſe dici ſocio, *Abſtine commodo, quod per ſeruum acceſſit, (ſi) damnum pet.*

24. *Idem* libro trigenſimo primo ad Edictum.

PLanè ſi ambo ſocii ſeruum alterius præpoſuerint: non tenebitur dominus eius nomine, niſi duntaxat de peculio. commune enim periculum eſſe oportet, cùm ambo eum præponamus.

25. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

NOn ob eam rem minus ad periculum ſocij pertinet, quod neglegentia eius periſſet, quod in pleriſque aliis induſtria eius ſocietas fuiſſet, & hoc ex appellatione imperator pronuntiauit.

26. *Vlpianus* libro trigeſimo primo ad Edictum.

ET ideo, ſi ſocius quædam neglegenter in ſocietate egiſſet, in pleriſque autem ſocietatem auxiſſet, non compenſatur compendium cum neglegentia, vt Marcellus libro ſexto digeſtorum ſcripſit.

27. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

OMne æs alienum, quod manente ſocietate contractum eſt, de communi ſoluendum eſt: licet, poſteaquàm ſocietas diſtracta eſt, ſolutum ſit. igitur etſi ſub conditione promiſerat, &, diſtracta ſocietate, condicio extitit: ex communi ſoluendum eſt: ideoque, ſi interim ſocietas dirimatur, cautiones interponendæ ſunt.

28. *Idem* libro 60. ad Edictum.

SI ſocij ſumus, & vnus ex die pecuniam debeat, & diuidatur ſocietas: non debet hoc deducere ſocius, quemadmodum præſens debet: ſed omnes diuidere, & cauere, cùm dies venerit, deſenſu iri ſocium.

29. *Vlpianus* libro 30. ad Edictum.

SI non fuerint partes ſocietati adiectæ: æquas eas eſſe, conſtat. Si vero placuerit, vt quis duas partes, vel tres habeat, alius vnam: an valeat? placet, valere: ſi modo aliquid plus contulit ſocietati vel pecuniæ, vel operæ, vel cuiuſcunque alterius rei cauſa.

1 ¶ Ita coiri ſocietatem poſſe, vt nullius partem damni alter ſentiat, lucrum vero commune ſit, Caſſius putat. quod ita demum valeVit, (vt & Sabinus ſcribit) ſi tanti ſit opera quanti damnū eſt. plerumque enim tanta eſt induſtria ſocij, vt plus ſocietati conferat, quàm pecunia. item ſi ſolus nauiget, ſi ſolus peregrinetur, periculo ſubeat ſolus.

2 ¶ Ariſto refert, Caſſium reſpondiſſe, ſocietatē talem coiri non poſſe, vt alter lucrum tantùm, alter damnum ſentiret: & hanc ſocietatem leoninam ſolitum appellare. & nos conſentimus, talem ſocietatem nullam eſſe: vt alter lucrum ſentiret. alter vero nullum lucrum, ſed damnum ſentiret. iniquiſſimum enim genus ſocietatis eſt, ex qua quis damnum, non etiam lucrum ſpectet.

30. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

MVcius libro quartodecimo ſcribit, non poſſe ſocietatem coiri, vt aliam damni, aliam lucri partem ſocius ferat. Seruius in notatis Mucij ait, nec poſſe ſocietatem ita contrahi. neque enim lucrum intellegitur, niſi omni damno deducto: neque damnum, niſi omni lucro deducto. ſed poteſt coiri ſocietas ita: vt eius lucri, quod reliquum in ſocietate ſit, omni damno deducto, pars alia feratur: & eius damni, quod ſimiliter relinquatur, pars alia capiatur.

31. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

VT ſit pro ſocio actio, ſocietatem intercedere oportet. nec enim ſufficit, rem eſſe communem, niſi ſocietas intercedit. communiter autem res agi poteſt etiam citra ſocietatem: vtputa cùm, non affectione ſocietatis, incidimus in communionem. vt euenit in re duobus legata: item ſi à duobus ſimul empta res ſit: aut ſi hereditas, vel donatio communiter nobis obuenit: aut ſi à duobus ſeparatim emimus partes eorum, non ſocij futuri.

32. *Idem* libro 2. ad Edictum.

NAm, cùm tractatu habito ſocietas coita eſt, pro ſocio actio eſt: cùm ſine tractatu, in re ipſa & negotio communiter geſtum videtur.

33. *Idem* libro 31. ad Edictum.

VT in conductionibus publicorum, item in emptionibus. nam qui nolunt inter ſe contendere, ſolent, per nuntiū rem emere in cōmune. quod à ſocietate lōge remotū eſt. & ideo, ſocietate ſine tutoris auctoritate coita, pupillus non tenetur: attamen communiter geſto tenetur.

34. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

QVibus caſibus, ſi quid forte vnus in eam rem impenderit, ſiue fructus, mercedéſve vnus perceperit, vel deteriorem fecerit rem: non ſocietatis iudicio locus eſt: ſed inter coheredes quidem familiæ hereſcendæ iudicio agitur, inter ceteros communi diuidundo. Inter eos quoque, quibus hereditario iure communis res eſt, poſſe & communi diuidundo agi.

35. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

NEmo poteſt ſocietatem heredi ſuo ſic parere, vt ipſe heres ſocius ſit. In heredem autem ſoci proponitur actio, vt bonam fidem præſtet.

36. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

ET acti etiam culpam, quam is præſtaret, in cuius locum ſucceſsit: licet ſocius (non) ſit.

37. *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

PLane ſi hi, qui ſociis heredes extiterint, animum inierint ſocietatis in ea hereditate: nouo conſenſu, quod poſtea geſſerint, efficitur, vt in pro ſocio actionem deducatur.

38. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

PRo ſocio arbiter proſpicere debet cautionibus in futuro damno, vel lucro, pendente ex ea ſocietate. quod Sabinus in omnibus bonæ fidei iudicijs exiſtimauit ſiue generalia ſunt, veluti pro ſocio, negotiorum geſtorum, tutelæ: ſiue ſpecialia, veluti mandati, commodati, depoſiti.

1 ¶ Si tecum ſocietas mihi ſit, & res ex ſocietate communes: quam impenſam in eas fecero, quoſve fructus ex his rebus ceperis, vel pro ſocio, vel communi diuidundo, me conſecuturum: & altera actione alteram tolli, Proculus ait.

39 *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

SI fundus mihi tecum communis ſit, & in eum mortuum intuleris: agam tecum pro ſocio.

40. *Idem* libro 17. ad Sabinum.

HEres ſocij quamuis ſocius non eſt: tamen ea, quæ per defunctum inchoata ſunt, per heredem explicari debent, in quibus dolus eius admitti poteſt.

41. *Vlpianus* libro 20. ad Edictum.

SI quis à ſocio pœnam ſtipulatus ſit: pro ſocio nō aget, ſi tantumdem in pœnam ſit, quantum eius interfuit.

42. *Idem* libro 45. ad Sabinum.

QVod ſi ex ſtipulatu eam conſecutus ſit: poſtea pro ſocio agendo, hoc minus accipiet, pœna cū in ſortem imputata.

43. *Idem* libro 28. ad Edictum.

SI actum ſit cōmuni diuidundo, non tollitur pro ſocio actio. quoniam pro ſocio & nominum rationem habet, & adiudicationem non admittit. ſed ſi poſtea pro ſocio agatur: hoc minùs ex ea actione conſequitur, quàm ex prima actione conſecutus eſt.

44. *Idem* libro 31. ad Edictum.

SI margarita tibi vendenda dedero, vt, ſi ea decem vendidiſſes, redderes mihi decem, ſi pluris, quod excedit, tu haberes: mihi videtur, ſi animo contrahendæ ſocietatis id actum ſit, pro ſocio eſſe actionem: ſi minus, præſcriptis verbis.

45 *Idem* libro 39 ad Sabinum.

REi communis nomine cum ſocio furti agi poteſt, ſi per fallaciam, dolove malo amouit, vel rem communem celandi animo contrectet. ſed & pro ſocio actione obſtrictus eſt. nec altera actio alteram tollet. Idémque in omnibus bonæ fidei iudiciis dicendum eſt.

46. *Paulus* libro 6. ad Sabinum

IDEm eſt & in colono, & in eo, qui negotia gerit, & qui mandatum noſtrum exſequitur, & in tutore.

47. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

SEd ſi ex cauſa furtiua condixero, ceſſaVit pro ſocio actio, niſi ſi pluris mea interſit.

1 ¶ Si damnum in re communi ſocius dedit: Aquilia teneri eum, & Celſus, & Iulianus, & Pomponius ſcribunt:

48. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

SEd nihilominus & pro ſocio tenetur.

49. *Vlpianus* libro 31. ad Edictum.

SI hoc facto ſocietatem læſit: ſi verbi gratia negotiatorem ſeruum vulnerauerit, vel occidit.

50. *Paulus*



50. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

SEd actione pro ſocio conſequitur, vt altera actione contentus eſſe debeat. quia vtraque actio ad rei perſecutionem reſpicit: non, vt furti ad pœnam dumtaxat.

51. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

MEritò autem adiectum eſt, ita demum furti actionem eſſe, ſi per fallaciam, & dolo malo amouit: quia, cùm ſine dolo malo fecit, furti non tenetur, & ſane plerumque credendum eſt, eum, qui partis dominus eſt, iure potius ſuo re vti, quàm furti conſilium inire.

1 ¶ Et ideo videVimus, an Fauia, teneatur. & ratio quidem facit, ne teneatur: verùm ſi plagium fecit, vel ſuppreſſit, Fauia teneri.

52. *Idem* libro 31. ad Edictum.

CVm duobus vicinis fundus coniunctus, venalis eſſet: alter ex his petit ab altero, vt eum fundū emeret: ita vt ea pars, quæ ſuo fundo iuncta eſſet, ſibi cederetur. mox ipſe eum fundum, ignorante vicino, emit. quæritur, an aliquam actionem cum eo vicinus habeat. Iulianus ſcripſit, implicitam eſſe facti quæſtionem. nam ſi hoc ſolum actum eſt, vt fundum Lucij Titij vicinus emeret, & mecum communicaret, aduerſus me, qui emi, nullam actionem vicino competere. ſi verò id actum eſt, vt quaſi cōmune negotium gereretur: ſocietatis iudicio tenebor: vt tibi, deducta parte, quam mandaueram, reliquas partes præſtem.

1 ¶ Venit autem in hoc iudicium pro ſocio bona fides.

2 ¶ Vtrum ergo tantum dolum, an etiam culpam præſtare ſocium oporteat, quæritur. & Celſus libro ſeptimo digeſtorum ita ſcripſit. Socios inter ſe dolum, & culpam præſtare oportet. Si in coëunda ſocietate (inquit) artem operamve pollicitus eſt alter: veluti cùm pecus in commune paſcendum, aut agrum politori damus in commune quærendis fructibus: nimirum ibi etiam culpa præſtanda eſt. pretium enim operæ artis eſt velamentum. Quòd ſi rei communi ſocius nocuit: magis admittit, culpā quoque venire.

3 ¶ Damna, quæ imprudentibus accidunt, hoc eſt damna fatalia, ſocij non cogentur præſtare. ideoque ſi pecus æſtimatum datum ſit: & id latrocinio, aut incendio perierit: commune damnū eſt, ſi nihil dolo, aut culpa acciderit eius, qui æſtimatum pecus acceperit. quòd ſi à furibus ſubreptum ſit, proprium eius detrimentum eſt: quia cuſtodiam præſtare debuit, qui æſtimatum accepit. hæc vera ſunt, & pro ſocio erit actio: ſi modo, ſocietatis contrahendæ cauſa, paſcenda data ſunt, quāuis æſtimata.

4 ¶ Quidam ſagariam negotiationem coierunt. alter ex his ad merces comparandas profectus, in latrones incidit: ſuamque pecuniam perdidit: ſerui eius vulnerati ſunt, réſque proprias perdidit. dicit Iulianus, damnum eſſe commune. ideoque actione pro ſocio damni partem dimidiam adgnoſcere debere tam pecuniæ, quàm rerum ceterarum, quas ſecum non tuliſſet ſocius, niſi ad merces communi nomine comparandas proficiſceretur. ſed & ſi quid in medicos impenſum eſt: pro parte ſocium agnoſcere debere, rectiſsime Iulianus probat. proinde & ſi naufragio quid periit: cùm non alias merces, quàm naui, ſolerent aduehi: damnum ambo ſentiēt. nam ſicuti lucrum, ita damnum quoque commune eſſe oportet, quod non culpa ſocij contingit.

5 ¶ Cum duo erant argentarij ſocij: alter eorum aliquid ſeparatim quæſierat, & lucri ſenſerat. quærebatur, an commune eſſe lucrum oporteret. & Imperator Seuerus Flauio Felici in hęc verba reſcripſit: Etiam ſi maxime argentariæ ſocietas inita eſt: quod quiſque tamen ſocius non ex argentaria cauſa quæſiit, id ad communionem non pertinere, explorati iuris eſt.

6 ¶ Papinianus quoque libro tertio reſponſorum ait:

SI fratres, parentium indiuiſas hereditates ideo retinuerunt: vt emolumentum, ac damnum in his commune ſentirent: quod aliunde quaſierint, in commune non redigetur.

7 ¶ Item ex facto conſultum reſpondiſſe ſe ait libro tertio reſponſorum: Inter Flauium Victorem, & Vellicum Aſianum placuerat, vt, locis emptis pecunia Victoris, monumenta fierent opera, & peritia Aſiani: quibus diſtractis, pecuniam Victor cum certa quantitate reciperet, ſuperfluum Aſianus acciperet, qui operam in ſocietatem contulit. erit pro ſocio actio.

8 ¶ Idem Papinianus eodem libro ait, ſi inter fratres voluntarium conſorcium initum fuerit, & ſtipendia, ceteraque ſalaria in commune redigi iudicio ſocietatis. quamuis filius emancipatus hæc non cogatur conferre fratri (inquit) in poteſtate manenti, quia, etſi in poteſtate maneret, præcipuà ea haberet.

9 ¶ Idem reſpondit, ſocietatem non poſſe vltra mortem porrigi. & ideo nec libertatem de ſupremis iudiciis conſtringere quis poterit, vel cognatum vlteriorem proximioribus præferre.

10 ¶ Idem reſpondit: Socius, qui ceſſantis, ceſſantiúmve portiones inſulæ reſtituerit, quamuis aut ſortem cum ſortis vſuris intra quattuor menſes, poſtquàm opus refectum erit, recipere poteſt, exigendoque, priuilegio vtetur, aut deinceps proprium rē habebit, poteſt tamen pro ſocio agere ad hoc, vt conſequatur, quod ſua intererat. finge enim, malle eum magis ſuum conſequi, quàm dominium inſulæ oratio enim Diui Marci idcirco quattuor menſibus finit certas vſuras, quia poſt quattuor dominium dedit.

11 ¶ Si quis ſocietatem ad emendum coierint, deinde res, alterius dolo, vel culpa, empta non ſit: pro ſocio eſſe actionem, conſtat. Plane ſi condicio ſit adiecta, *Si intra illum diem veniet*, & dies ſine culpa ſocij præterierit: ceſſabit actio pro ſocio.

12 ¶ Item ſi in communem riuum reficiendum iNpenſa facta ſit: pro ſocio eſſe actionem ad reciperandum ſumptum, Caſsius ſcripſit.

13 ¶ Item Mela ſcribit: ſi vicini ſemipedes inter ſe contulerunt, vt ibi craticium parietem inter ſe ædificarent ad onera vtriuſque ſuſtinenda, deinde ædificato pariete, alter in eum immitti non patiatur: pro ſocio agendum. Idémque: & ſi aream in cōmune emerint, ne luminibus ſuis officeretur, & alteri tradita ſit, nec præſtet alteri, quod conuenit: pro ſocio actionem eſſe.

14 ¶ Si plures ſint inter eoſdem ſocietates coitæ: ad omnes ſocietates ſufficere hoc vnum iudicium, conſtat.

15 ¶ Si quis ex ſociis propter ſocietatem profectus ſit, veluti ad merces emendas: eos dumtaxat ſumptus ſocietati imputabit, qui in eam penſi ſunt. viatica igitur & meritoriorū, & ſtabulorum, iumentorum, carrulorum vecturas, vel ſui, vel ſarcinarum ſuarum gratia, vel mercium, recte imputaVit.

16 ¶ Socium vniuerſa in ſocietatem conferre debere, Neratius ait, ſi omnium bonorum ſocius ſit. & ideo, ſiue ob iniuriam ſibi factam, vel ex lege Aquilia, ſiue ipſius, ſiue filij corpori nocitum ſit, conferre debere, reſpondit.

17 ¶ Ibidem ait, ſocium omnium bonorum non cogi conferre, quæ ex prohibitis cauſis adquiſierit. 18 ¶ Per contrarium quoque apud veteres tractatur, an ſocius omnium bonorum, ſi quid ob iniuriarum actionem damnatus præſtiterit, ex communi conſequatur, vt præſtet. & Atilicinus, Sabinus, Caſsius reſponderunt: ſi iniuria iudicis damnatus ſit, conſecuturum: ſi ob maleficium ſuum, ipſum tantùm damnum ſentire debere. cui cōgruit: quod Seruium reſpondiſſe, Aufidius refert, ſi ſocij bonorum fuerint, deinde vnus cùm ad iudicium non adeſſet, damnatus ſit, non debere eum de com-

muni id conſequi: ſi vero præſens iniuriam iudicis paſſus ſit, de communi ſarciendum.

53. *Idem* libro 30. ad Sabinum.

QVod autem ex furto vel ex alio maleficio quæſitum eſt: in ſocietatem nõ oportere conferri, palam eſt. quia delictorum turpis atque fœda communio eſt. Plane, ſi in medium collata ſit, commune erit lucrum.

54. *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

QVod enim ex maleficio contulerit ſocius, non aliter recipere debet, quàm ſi damnatus ſit.

55. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

SI igitur ex hoc conuentus fuerit, qui maleficium admiſit: id, quod contulit, aut ſolum, aut cum pœna auferret. ſolum auferret: ſi mihi proponas, inſciente ſocio, eum in ſocietatis rationem hoc contuliſſe. quòd ſi ſciente: etiam pœnam ſocium agnoſcere oportet. æquum eſt enim: vt, cuius participauit lucrum, participet & damnum.

55. *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

NEc quicquam intereſt, vtrum manente ſocietate præſtiterit ob furtum, an diſſoluta ea. Idémque eſt in omnibus turpibus actionibus: veluti iniuriarum, vi bonorum raptorum, ſerui corrupti, & ſimilibus: & in omnibus pœnis pecuniariis, quæ ex publicis iudiciis accidunt.

57. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

NEc prætermittendum eſſe, Pomponius ait, ita demum hoc eſſe verum, ſi honeſtæ & licitæ rei ſocietas coita ſit: ceterùm ſi maleficij ſocietas coita ſit: conſtat, nullam eſſe ſocietatem. generaliter enim traditur, rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem.

58. *Idem* libro 38. ad Edictum.

SI id, quod quis in ſocietatem contulit, extinctum ſit: videndum, an pro ſocio agere poſſit. tractatum ita eſt apud Celſum libro ſeptimo digeſtorum ad epiſtulã Cornelij Felicis: Cùm tres equos haberes, & ego vnum: ſocietatem coimus: vt, accepto equo meo, quadrigam venderes: & ex pretio quartam mihi redderes. ſi igitur ante venditionem equus meus mortuus ſit: non putare ſe, Celſus ait, ſocietatem manere: nec ex pretio equorum tuorum partem deberi, non enim habendæ quadrigæ, ſed vendendæ coitam ſocietatem. ceterùm ſi id actum dicatur, vt quadriga fieret, eaque communicaretur: tuque in ea tres partes haberes, ego quartam: non dubie adhuc ſocij ſumus.

1 ¶ Item Celſus tractat, ſi pecuniam contuliſſemus ad mercem emendam, & mea pecunia periſſet, cui perierit ea. & ait, ſi poſt collationem euenit, vt pecunia periret, quod non fieret, niſi ſocietas coita eſſet: vtrique perire. vtputa ſi pecunia, cùm peregre portaretur ad mercem emendam, periit. ſi verò ante collationem, poſteaquàm eam deſtinaſſes, tunc perierit: nihil eo nomine conſequeris, inquit: quia non ſocietati periit.

2 ¶ Si filiusfamilias ſocietatem coierit, deinde emancipatus à patre fuerit: apud Iulianum quæritur, an eadem ſocietas duret, an verò alia ſit, ſi forte poſt emancipationem in ſocietatem duratum eſt. Iulianus ſcripſit libro quartodecimo digeſtorum, eandem ſocietatem durare: initium enim his contractibus inſpiciendum. duabus autem actionibus agendum eſſe, vna aduerſus patrem, altera aduerſus filium. cum patre de eo, cuius dies ante emancipationem ceſſit: nam eius temporis quo poſt emancipationem ſocietas durauit, nihil præſtare patrem oportet. cum filio autem de vtroque tempore: id eſt de tota ſocietate. nam, & ſi quid (inquit) ſocius filij, poſt emancipationem filij, dolo fecerit: eius, non patri, ſed filio actio danda eſt.

3 ¶ Si ſeruus meus ſocietatem cum Titio coierit, & alienatus in eadem permanſerit: poteſt dici, alienatione ſerui & priorem ſocietatem finitam, & ex integro alteram inchoatam. atque ideo & mihi, & emptori actionẽ pro ſocio competere. item tam aduerſus me, quàm aduerſus emptorem, ex his cauſis, quæ ante alienationem inciderunt, dandam actionẽ: ex reliquis aduerſus emptorẽ ſolum.

59 *Pomponius* libro 12. ad Sabinum.

ADeò morte ſocij ſoluitur ſocietas, vt nec ab initio paciſci poſſimus, vt heres etiam ſuccedat ſocietati. hæc ita in priuatis ſocietatibus ait. in ſocietate vectigalium nihilominùs manet ſocietas & poſt mortem alicuius. ſed ita demum, ſi pars defuncti ad perſonam heredis eius adſcripta ſit, vt heredi quoque conferri oporteat quod ipſum ex cauſa æſtimandum eſt. quid enim, ſi is mortuus ſit, propter cuius operam maxime ſocietas coita ſit? aut ſine quo ſocietas adminiſtrari non poſſit?

1 ¶ Quod in alea, aut adulterio perdiderit ſocius: ex medio non eſt laturus. ſi quid verò dolo noſtro ſocius damni ceperit, à nobis repetat.

60. *Idem* libro 13. ad Sabinum.

SOcium: qui in eo, quod ex ſocietate lucri faceret, reddendo moram adhibuit, cùm ea pecunia ipſe vſus ſit: vſuras quoque eũ præſtare debere, Labeo ait: ſed nõ quaſi vſuras: ſed quod ſocij interſit, moram eum non adhibuiſſe. ſed ſi aut vſus ea pecunia non ſit, aut moram non fecerit: contrà eſſe. Item poſt mortem ſocij nullam talem æſtimationem ex facto heredis faciendam. quia morte ſocij dirimatur ſocietas.

1 ¶ Socius, cùm reſiſteret communibus ſeruis venalibus ad fugam erumpentibus, vulneratus eſt. impenſam, quam in curando ſe fecerit, non conſecuturum pro ſocio actione, Labeo ait: quia id non in ſocietatem, quamuis propter ſocietatem, impenſum ſit: ſicuti ſi propter ſocietatem eum heredem quis inſtituere deſiſſet, aut legatum prætermiſiſſet, aut patrimonium ſuum neglegentiùs adminiſtraſſet. nam nec compendium, quod propter ſocietatem ei contigiſſet, veniret in medium: veluti ſi propter ſocietatem heres fuiſſet inſtitutus, aut quid ei donatum eſſet.

61. *Vlpianus* libro 31. ad Edictum.

SEcundùm Iulianum tamen, & quod medicis pro ſe datum eſt, recipere poteſt. quod verum eſt.

62. *Pomponius* libro 13. ad Sabinum.

SI Titius, cum quo mihi ſocietas erat, deceſſerit. egoque, cùm putarẽ Titij hereditatem ad Seium pertinere, communiter cum eo res vendiderim: & partem pecuniæ ex venditione redactæ ego, partẽ Seius abſtulerit: te, qui re vera Titio heres es, partẽ ad me redactæ pecuniæ ſocietatis iudicio non conſecuturum: Neratio, & Ariſtoni placebat: quia meæ duntaxat partis pretia percepiſſem. neque intereſſe, vtrum per ſe partes meas vendidiſſem, an communiter cum eo, qui reliquas partes ad ſe pertinere diceret: alioquin euenturum: vt, etiam ſi duo ſocij rem vendiderint: vnuſquiſque, quod ad ſe peruenerit partem alteri, ſocietatis iudicio, præſtare debeat. ſed nec te ex parte, quam hereditatis petitione forte à Seio conſecuturus ſis, quicquam mihi præſtare debere: quia quod ad Seiũ peruenerit, tuarum partium pretium ſit. nec ad me habentem meum, quicquam ex eo redire debeat.

63. *Vlpianus* libro 31. ad Edictum.

VErum eſt, quod Sabino videtur: etiam ſi non vniuerſorum bonorum ſocij ſunt, ſed vnius rei: attamen in id, quod facere poſſunt, quodve, dolò malo fecerint, quò minùs poſſint, condemnari oportere. hoc enim ſummam rationem habet: cùm ſocietas ius quodammodo fraternitatis in ſe habeat.

1 ¶ Videndum eſt, an & fideiuſſori ſocij id præſtari debeat, an verò perſonale beneficium ſit quod magis verum eſt. Sed ſi hic fideiuſſor, quaſi defenſor ſocij, iudiciũ ſuſceperit: proderit ſibi. namque Iulianus libro quartodecimo digeſtorum ſcripſit:

defenſorem



defenſorem ſocij in id, quod ſocius facere poteſt, condemnari oportere. idémque & in patroni defenſore accipere debere ait. Et vtique idem erit in vniuerſis, qui in id, quod facere poſſunt, conueniuntur. 2 ¶ Patri autem, vel domino ſocij, ſi iuſſu eorum ſocietas contracta ſit, non eſſe hanc exceptionem dandam. quia nec heredi ſocij, ceteriſque ſucceſſoribus hoc præſtabitur. quia nec ceterorum heredibus ſucceſſoribuſve, quos in id, quod facere poſſunt, conuenimus, idem præſtatur.

3 ¶ Id, quod facere ſocius poteſt, quemadmodum æſtimandum ſit? & placuit, non debere deduci æs alienum, quod debetur à ſocio. ita & Marcellus libro ſeptimo digeſtorum ſcripſit. niſi forte (inquit) ex ipſa ſocietate debeatur.

4 ¶ Item videndum, an cautio veniat in hoc iudicium eius. quod facere ſocius non poſſit: ſcilicet nuda promiſſio quod magis dicendum arbitror.

5 ¶ Si, cùm tres ſocij eſſent, egerit cum vno ex ſociis ſocius, & partem ſuam integram ſit conſecutus: deinde alius ſocius cum eodem agat, & partem conſequi integram non poterit, quia facere ſolidum non poteſt: an hic, qui minus conſecutus eſt, cum eo agere poſſit, qui ſolidum accepit, ad communicandas partes inter eos, id eſt exæquandas: quaſi iniquum ſit, ex eadem ſocietate, alium plus: alium minus conſequi? ſed magis eſt, vt pro ſocio actione conſequi poſſit, vt vtriuſque portio exæquetur. quæ ſententia habet æquitatem.

6 ¶ Tempus autem ſpectamus, quantum facere ſocius poſſit, rei iudicandæ.

7 ¶ Hoc quoque facere quis poſſe videtur, quod dolo fecit, quo minùs poſſit. nec enim æquum eſt, dolum ſuum quemquam releuare. Quod & in ceteris: qui in id, quod facere poſſunt, conueniuntur, accipiendum eſt. Si tamen non dolo, ſed culpa ſua facere poſſe deſiit: dicendum eſt condemnari eum non debere.

8 ¶ In heredem quoque ſocij pro ſocio actio competit: quamuis heres ſocius non ſit. licet enim ſocius non ſit, attamen emolumenti ſucceſſor eſt, & circa ſocietates vectigalium, ceterorúmque idem obſeruamus, vt heres ſocius non ſit, niſi fuerit adſcitus: verumtamen omne emolumentum ſocietatis ad eum pertineat: ſimili modo & damnum agnoſcat, quod contingit, ſiue adhuc viuo ſocio vectigalis, ſiue poſtea. quod non ſimiliter in voluntaria ſocietate obſeruatur.

9 ¶ Si ſeruo communi legatum ſine libertate vnus ex dominis reliquit: hoc ad ſolum ſociũ pertinet. an tamen pro ſocio, iudicio communicari debeat cum herede ſocij quæritur. & ait Iulianus, Sextum Pomponium referre Sabinum reſpondentem, non communicari. & poſſe hanc ſententiam defendi, Iulianus ait. non enim propter communionem hoc adquiſitum eſt, ſed ob ſuam partem. nec oportet id communicari quod quis non propter ſocietatẽ, ſed propter ſuam partem adquiſierit.

10 ¶ Societas ſoluitur ex perſonis, ex rebus, ex voluntate, ex actione. Ideóque ſiue homines, ſiue res, ſiue voluntas, ſiue actio interierit: diſtrahi videtur ſocietas. Intereunt autem homines quidem maxima, aut media capitis deminutione, aut morte. Res verò cùm aut nullæ relinquantur, aut condicionem mutauerint. neque enim eius rei, quæ iam nulla ſit, quiſquam ſocius eſt: neque eius quæ conſecrata, publicatáve ſit. Voluntate diſtrahitur ſocietas renuntiatione.

64. *Caliſtratus* libro 1. Quæſtionum.

ITaque cùm ſeparatim ſocij agere cœperint, & vnuſquiſque eorum ſibi negotietur: ſine dubio ius ſocietatis diſſoluitur.

65. *Paulus* libro 32 ad Edictum.

ACtione diſtrahitur, cùm aut ſtipulatione, aut iudicio mutata ſit cauſa ſocietatis. Proculus enim ait, hoc ipſo, quòd iudicium ideo dictatum eſt, vt ſocietas diſtrahatur, renuntiatam ſocietatẽ: ſiue totorum bonorum, ſiue vnius rei ſocietas coita ſit. 1 ¶ Item bonis à creditoribus venditis vnius ſocij, diſtrahi ſocietatem Labeo ait.

2 ¶ Si in rem certam emendam, conducendámve coita ſit ſocietas: tunc etiam poſt alicuius mortem quidquid lucri detrimentive factum ſit, cõmune eſſe Labeo ait.

3 ¶ Diximus, diſſenſu ſolui ſocietatem. hoc ita eſt, ſi omnes diſſentiunt, quid ergo, ſi vnus renuntiet? Caſſius ſcripſit, eum, qui renuntiauerit ſocietati, à ſe quidem liberare ſocios ſuos, ſe autem ab illis non liberare. quod vtique obſeruandum eſt, ſi dolo malo renuntiatio facta ſit. veluti ſi cùm omnium bonorum ſocietatem iniſſemus, deinde cùm obueniſſet vni hereditas: propter hoc renuntiauit. ideóque ſi quidem damnum attulerit hereditas: hoc ad eum, qui renuntiauit, pertinebit: commodum autem communicare cogetur actione pro ſocio. quòd ſi quid poſt renuntiationem adquiſierit, non erit communicandum: quia nec dolus admiſſus eſt in eo.

4 ¶ Item ſi ſocietatem ineamus ad aliquam rem emendam, deinde ſolus volueris eam emere: ideóque renuntiaueris ſocietati, vt ſolus emeres: teneberis, quanti intereſt mea. ſed ſi ideo renuntiaueris, quia emptio tibi diſplicebat: non teneberis, quamuis ego emero: quia hic nulla fraus eſt. eaque & Iuliano placent.

5 ¶ Labeo autem poſteriorum libris ſcripſit: ſi renuntiauerit ſocietati vnus ex ſociis eo tempore, quo interfuit ſocij non dirimi ſocietatem: committere eum in pro ſocio actione. nam ſi emimus mancipia, inita ſocietate: deinde renunties mihi eo tempore, quo vendere mancipia non expedit: hoc caſu, quia deteriorem cauſam meam facis, teneri te pro ſocio iudicio. Proculus hoc ita verum eſſe, (ſi) ſocietatis non interſit, dirimi ſocietatem. ſemper enim non id, quod priuatim intereſt vnius ex ſociis, ſeruari ſolet: ſed quod ſocietati expedit. hæc ita accipienda ſunt, ſi nihil de hoc in coëunda ſocietate conuenit.

6 ¶ Item qui ſocietatem in tempus coit: eam ante tempus renuntiando, ſocium à ſe, non ſe à ſocio liberat. Itaque ſi quid compendij poſtea factum erit, eius partem non fert. at ſi diſpendium, æquè præſtabit portionem, niſi renuntiatio ex neceſſitate quadam facta ſit. quòd ſi tempus finitum eſt, liberũ eſt recedere: quia ſine dolo malo id fiat.

7 ¶ Renuntiare ſocietati etiam per alios poſſumus, & ideo dictum eſt, procuratorem quoque poſſe renuntiare ſocietati. Sed vtrum de eo dictum ſit, cui omnium bonorum adminiſtratio conceſſa eſt: an de eo, cui hoc ipſum nominatim mãdatum eſt. videamus: an verò per vtrumque rectè renuntietur. quod eſt verius: niſi prohibuerit eum, dominus ſpecialiter renuntiare.

8 ¶ Item ſcriptum eſt, poſſe procuratori quoque meo ſocium meum renuntiare. quod Seruius apud Alfenum ita notat, eſſe in poteſtate domini, cùm procuratori eius renuntiatum eſt, an velit, ratam habere renuntiationem. igitur is, cuius procuratori renuntiatum eſt, liberatus eſſe videbitur. an autem ipſe quoque, (qui) renuntiauit procuratori, liberetur, in poteſtate eius erit: quemadmodum diximus in eo, qui ſocio renuntiat. 9 ¶ Morte vnius ſocietas diſſoluitur, etſi conſenſu omnium coita ſit, plures verò ſuperſint: niſi in coëunda ſocietate aliter conuenerit. nec heres ſocij ſuccedit, ſed quod ex re communi poſtea quæſitum eſt: item dolus, & culpa in eo, quod ex ante geſto pendet: tam ab herede, quàm heredi præſtandum eſt. 10 ¶ Item ſi alicuius rei ſocietas ſit, & finis negotio impoſitus: finitur ſocietas, quod ſi, integris omnibus manentibus alter deceſſerit: deinde tunc ſequatur res, de qua ſocietatem coierunt: tunc eadem diſtinctione vtemur, qua in mandato: vt ſi quidem ignota fuerit mors alterius, valeat ſocietas: ſi nota, non valeat. 11 ¶ Societas quemadmodum ad heredes ſocij non tranſit, ita nec ad adrogatorem, ne alioquin inuitus quis, ſocius efficiatur, cui

non vult. Ipſe autem adrogatus ſocius permanet. nam, etſi filius familias emancipatus fuerit, permanebit ſocius. 12 ¶ Publicatione quoque diſtrahi ſocietatem diximus, quod videtur ſpectare ad vniuerſorum bonorum publicationem, ſi ſocij bona publicentur. nam, cùm in eius locum alius ſuccedat, pro mortuo habetur. 13 ¶ Si poſt diſtractam ſocietatem aliquid in rem communem impenderit ſocius, actione pro ſocio id non conſequitur: quia non eſt verum, pro ſocio, communiterue id geſtum eſſe ſed communi diuidundo iudicio huius quoque rei ratio habebitur nam, etſi diſtracta eſſet ſocietas, nihilo minùs diuiſio rerum ſupereſt, 14 ¶ Si communis pecunia penes aliquem ſociorum ſit, & alicuius ſociorum quid abſit: cùm eo ſolo agendum, penes quem ea pecunia ſit, qua deducta, de reliquo, quod cuique debeatur, omnes agere poſſunt. 15 ¶ Nonnunquam neceſſarium eſt, & manente ſocietate, agi pro ſocio, veluti cùm ſocietas, vectigalium cauſa, coita eſt: proptérque varios contractus neutri expediat recedere à ſocietate: nec refertur in medium, quod ad alterum peruenerit. 16 ¶ Si vnus ex ſociis maritus ſit: & diſtrahatur ſocietas manente matrimonio: dotem maritus præcipere debet: quia apud eũ eſſe debet, qui onera ſuſtinet. quòd ſi, iam diſſoluto matrimonio, ſocietas diſtrahatur: eadem die recipienda eſt dos, qua & ſolui debet.

66. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

QVod ſi eo tempore, quo diuiditur ſocietas, in ea cauſa dos ſit. vt certum ſit, eam, vel partem eius reddi non oportere: diuidere eam inter ſocios iudex debet.

67. *Paulus* libro 32. ad Edictum.

SI vnus ex ſociis rem communem vendiderit cõſenſu ſociorum: pretium diuidi debet ita, vt ei caueatur, indemnem eum futurum. quòd ſi iam damnum paſſus eſt, hoc ei præſtabitur. ſed ſi pretiũ communicatum ſit ſine cautione: & aliquid præſtiterit is, qui vendidit: an ſi non omnes ſocij ſoluẽdo ſint, quod à quibuſdam ſeruari non poteſt, à ceteris debeat ferre. ſed Proculus putat, hoc ad ceterorum onus pertinere, quod ab aliquibus ſeruari non poteſt. rationéque deffendi poſſe: quoniã ſocietas cùm contrahitur: tam lucri, quàm damni communio initur. 1 ¶ Si vnus ex ſociis, qui non totorum bonorum ſocij erant, communem pecuniam fœnerauerit: vſuráſque perceperit: ita demũ vſuras partiri debet, ſi ſocietatis nomine fœnerauerit. nam ſi ſuo nomine, quoniam ſortis periculum ad eum pertinuerit, vſuras ipſum retinere oportet. 2 ¶ Si quid vnus ex ſociis neceſſariò de ſuo impendit in communi negotio, iudicio ſocietatis ſeruabit: & vſuras, ſi fortè mutuatus ſub vſuris, dedit, ſed & ſi ſuam pecuniam dedit: non ſine cauſa dicetur, quod vſuras quoque percipere debeat, quas poſſit habere, ſi alij mutuum dediſſet. 3 ¶ Non alias ſocius in id, quod facere poteſt, condemnatur, quàm ſi confitetur ſe ſocium fuiſſe.

68. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

NEmo ex ſociis plus parte ſua poteſt alienare, etſi totorum bonorum ſocii ſint. 1 ¶ Illud quæritur: vtrum is demùm facere videtur, quo minùs facere poſſit, qui erogat bona ſua in fraudem futuræ actionis: an & qua occaſione adquirendi nõ vtitur ſed verius eſt, de eo ſentire proconſulem, qui erogat bona ſua. idque ex interdictis colligere poſſumus: in quibus ita eſt, *quod dolo feciſti, vt deſineres poſſidere.*

69 *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

CVm ſocietas ad emendum coiretur: & conueniret, vt vnus reliquis nundinas, id eſt epulas, præſtaret: eóſq. à negotio dimitteret: & ſi eas eis nõ ſoluerit & pro ſocio, & ex vendito cum eo agendum eſt.

70. *Paulus* libro 33. ad Edictum.

NVlla ſocietatis in æternum coitio eſt.

71. *Idem* libro 3. Epitomarum Alfeni Digeſtorum.

DVo ſocietatem coierunt: vt grammatica docerent: &, quod ex eo artificio quæſtus feciſſent, commune eorum eſſe: de ea re, quæ voluerunt fieri, in pacto conuento ſocietatis proſcripſerunt: deinde inter ſe his verbis ſtipulati ſunt: *Hæc, quæ ſuprà ſcripta ſunt: ea ita dari, fieri, neque aduerſus ea fieri? Si ea ita data, facta non erunt: tum viginti milia dari?* Quæſitũ eſt, an, ſi quid contra factum eſſet, ſocietatis actione agi poſſet. Reſpondit: ſi quidem, pacto conuento inter eos de ſocietate facto, ita ſtipulati eſſent, *Hæc ita dari, fieri ſpondes?* futurum fuiſſe: vt, ſi nouationis cauſa id feciſſent, pro ſocio agi non poſſit, ſed tota res in ſtipulationem: tranſlata videretur, ſed quoniam non ita eſſent ſtipulati, *ea ita dari, fieri ſpondes? ſed ſi ea ita facta non eſſent decem dari?* non videri ſibi, rem in ſtipulationem perueniſſe: ſed duntaxat pœnam. non enim vtriuſque rei promiſſorem obligari: vt ea daret, faceret: &, ſi non feciſſet, pœnam ſufferret. & ideo ſocietatis iudicio agi poſſe. 1 ¶ Duo colliberti ſocietatem coierunt lucri, quæſtus, compendij: poſtea vnus ex his à patrono heres inſtitutus eſt. alteri legatum datum eſt. neutrum horum in medium referre debere, reſpondit.

72 *Gaius* libro 2. Cottidianarum rerum ſiue Aureorum.

SOcius ſocio etiam culpæ nomine tenetur: id eſt deſidiæ, atque negligentiæ culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam dirigenda eſt. ſufficit etenim, talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet. quia qui parum diligentem ſibi ſocium adquirit, de ſe queri debet.

73. *Vlpianus* libro 1. Reſponſorum Maximino reſpondit.

SI ſocietatem vniuerſarum fortunarum coierint, id eſt, earum quoque rerum, quæ poſtea cuique adquirentur: hæreditatem cuiuis eorum delatam, in commune redigendam. 1 ¶ Idem Maximinæ reſpondit: ſi ſocietatem vniuerſarum fortunarum ita coierint: vt quicquid erogetur, vel quæreretur, communis lucri, atque impendij eſſet: ea quoque, quæ in honorem alterius liberorum erogata ſunt, vtrinque imputanda.

74. *Paulus* libro 62. ad Edictum.

SI quis ſocietatem contraxerit: quod emit, ipſius ſit, non commune: ſed ſocietatis iudicio cogitur rem communicare.

75. *Celſus* libro 15. Digeſtorum.

SI coita ſit ſocietas ex his partibus, quas Titius arbitratus fuerit: ſi Titius antequàm arbitraretur, deceſſerit, nihil agitur nam idipſum actum eſt, ne aliter ſocietas ſit, quàm vt Titius arbitratus ſit.

76. *Proculus* libro 5. Epiſtularum.

SOcietatem mecum coiſti ea condicione, vt Nerua amicus communis partem ſocietatis conſtitueret. Nerua conſtituit, vt tu ex triente ſocius eſſes, ego ex beſſe quæris, vtrum ratum id iure ſocietatis ſit, an nihilominùs ex æquis partibus ſocij ſimus. exiſtimo autem, meliùs te quæſiturũ fuiſſe, vtrum ex his partibus ſocij eſſemus, quas his conſtituiſſet, an ex his, quas virum bonum conſtituere oportuiſſet arbitrorum enim genera ſunt duo. vnum eiuſmodi: vt, ſiue æquum ſit, ſiue iniquum: parere debeamus. quod obſeruatur, cùm ex compromiſſo ad arbitrum itum eſt. alterum eiuſmodi, vt ad boni viri arbitrium redigi debeat: etſi nominatim perſona ſit comprehenſa, cuius arbitratu fiat.

77. *Paulus* libro 4. Quæſtionum.

VEluti cùm lege locationis comprehenſum eſt, vt opus arbitrio locatoris fiat.

78. *Proculus* libro 5. Epiſtularum

In



IN propoſita autem quæſtione arbitrium viri boni exiſtimo ſequendum eſſe. eo magis, quòd iudicium pro ſocio bonæ fidei eſt.

79. *Paulus* libro 4. ad Edictum.

VNde ſi Neruæ arbitrium ita prauum eſt, vt manifeſta iniquitas eius appareat: corrigi poteſt per iudicium bonæ fidei.

80. *Proculus* libro 5. Epiſtularum.

QVid enim, ſi Nerua conſtituiſſet: vt alter ex milleſima parte, alter ex duo milleſimis partibus ſocius eſſet? Illud poteſt conueniens eſſe viri boni arbitrio, vt non vtique ex æquis partibus ſocij ſimus: veluti ſi alter plus operæ, induſtriæ, gratiæ, pecuniæ in ſocietatem collaturus erat.

81. *Papinianus* libro 9. Quæſtionum.

Socius pro filia dotem promiſit, & priùs, quàm ſolueret, hærede ea relicta deceſsit, quæ poſtea cum marito de exigenda dote egit, accepto liberata eſt: quæſitum eſt, an ſi pro ſocio ageret, dotis quantitatem præcipere deberet. ſi fortè conueniſſet inter ſocios, vt de communi dos conſtitueretur. dixi, pactum non eſſe iniquum. vtique ſi non de alterius tantum filia conuenit. nam ſi commune hoc pactum fuit: non intereſſe, quòd alter ſolus filiã habuit. ceterum ſi numeratam dotem pater, defuncta in matrimonio filia, reciperaſſet: reddi pecuniam ſocietati debuiſſe: pactum ex æquitate ſic nobis interpretantibus. quòd ſi, ſalua ſocietate, diuortio matrimonium ſolutum foret: cum ſua cauſa dotem reciperari ſcilicet vt ea vel alij marito dari poſsit. nec, ſi prior maritus facere non poſſet, denuò de ſocietate conſtituendam dotem: niſi ſi nominatim ita conueniſſet. verùm in propoſito largiter eſſe videbatur, dos numerata eſſet, an verò promiſſa: nam ſi filia datam dotem, poſteaquam patri heres extitit, iure ſuo recepiſſet: non eſſe referendam pecuniam ſocietati. quam mulier habitura fuit, etſi alius heres extitiſſet. quòd ſi accepto à marito liberata eſſet: nequaquam imputari poſſe ſocietati, non ſolutam pecuniam.

82. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

IVre ſocietatis per ſocium ære alieno ſocius non obligatur: niſi in communem arcam pecuniæ verſæ ſunt.

83 *Paulus* libro 1. Manualium.

ILlud quærendum eſt: arbor, quæ in confinio nata eſt: item lapis, qui per vtrumque fundum extenditur: an, cùm ſucciſa arbor eſt, vel lapis exemptus, eius ſit, cuius fundus, pro ea quoque parte ſingulorum eſſe debeat, pro qua parte in fundo fuerat: an, qua ratione duabus maſsis duorum dominorum flatis, tota maſſa communis eſt, ita arbor hoc ipſo, quo ſeparatur à ſolo, propriámque ſubſtantiam in vnum corpus redactã accipit, multo magis pro indiuiſo communis ſit, quàm maſſa. ſed naturali conuenit ratione, & poſtea tantam partem vtrumque habere tam in lapide, quàm in arbore, quantam & in terra habebat.

84. *Labeo* libro 6. Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

QVotiens iuſſu alicuius vel cum filio eius, vel cum extraneo ſocietas coitur: directò cum illius perſona agi poſſe, cuius perſona in contrahenda ſocietate ſpectata ſit.

# LIBER OCTAVVS DECIMVS.

## DE CONTRAHENDA EMPTIONE: ET DE PACTIS INTER EMPTOREM, & venditorem compoſitis: & quæ res venire non poſſunt.

*Paulus* libro 33. ad Edictum

ORigo emendi vendidique à permutationibus cœpit. olim enim non ita erat nũmus: neque aliud merx, aliud pretium, vocabatur, ſed vnuſquiſque ſecũdùm neceſsitatem temporum, ac rerum, vtilibus inutilia permutabat. quando plerumque euenit: vt, quod alteri ſupereſt, alteri deſit ſed quia non ſemper nec facilè concurrebat: vt, cùm tu haberes, quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis, ſubueniret, eáque materia forma publica percuſſa vſum dominiúmque non tã ex ſubſtantia præbet, quàm ex quantitate: nec vltrà merx vtrumque: ſed alterum, pretium vocatur. 1 ¶ Sed, an ſine nummis venditio dici hodie quæ poſsit dubitatur. veluti ſi ego togam dedi, vt tunicam acciperem. Sabinus, & Caſſius, eſſe emptionem, & venditionem putant, Nerua, & Proculus, permutationem, non emptionem hoc eſſe. Sabinus Homero teſte vtitur, qui exercitũ Græcorum ære, ferro, hominibúſque vinum emere refert, illis verſibus.

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσι,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσιν. id eſt,

*Hinc quidem vinum emebant comati Achiui:*
*Alii quidem ære, alij autem ſplendido ferro,*
*Alij verò pellibus, alij autem ipſis vaccis,*
*Alij autem mancipiis.*

Sed hi verſus permutationem ſignificare videntur, non emptionem: ſicut illi:

Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
Ὃς πρὸς Τυδεΐδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβεν.

*Hic rurſus Glauco Saturnius mentes exemit Iupiter,*
*Qui cum Tidide Diomede arma mutauit.*

Magis autem pro hac ſententia illud diceretur, quòd aliàs idem poëta dicit,

-πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν. id eſt,

*--emit poſſeſsionibus ſuis.*

Sed verior eſt Neruæ, & Proculi ſententia. nam vt aliud eſt vendere, aliud emere, alius emptor, alius venditor: ſic aliud eſt pretium, aliud merx. quòd in permutatione diſcerni non poteſt, vter emptor, vter venditor ſit. 2 ¶ Eſt autem emptio iuris gentium. & ideo conſenſu peragitur: & inter abſentes contrahi poteſt, & per nuncium, & per literas.

2. *Paulus* libro 1. ad ad Sabinum.

INter patrem, & filium contrahi emptio non poteſt: ſed de rebus caſtrenſibus poteſt 1 ¶ Siue pretio nulla venditio eſt. Non autem pretij numeratio, ſed conuentio perficit ſine ſcriptis habitam emptionem.

3. *Idem* libro 28. ad Sabinum

SI res ita diſtracta ſit, vt, ſi diſplicuiſſet, inempta eſſet: conſtat, non eſſe ſub conditione diſtractam, ſed reſolui emptionem ſub conditione.

4. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

ET liberi hominis, & loci ſacri, & religioſi, qui haberi non poteſt, emptio intelligitur, ſi ab ignorante emitur.

5. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

QVia difficile dignoſci poteſt liber homo à ſeruo.

6. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

SEd Celſus filius ait hominem liberum, ſcientem te emere non poſſe: nec cuiuſcumque rei,

de contrahenda
emptione. ff.

ſi ſcias,alienationem eſſe: vt ſacra,& religioſa loca:aut quorum commercium non ſit: vt publica, quæ non in pecunia populi, ſed in publico vſu habeantur, vt eſt campus Martius. 1 ¶ Si fundus annua,bina, trima die,ea lege veniſſet: vt,ſi in diem ſtatutum pecunia ſoluta non eſſet, fundus inemptus foret. & vt, ſi interim emptor fundum coluerit,fructū que ex eo perceperit, inempto eo facto reſtituerentur,& vt, quanti minoris poſtea alij veniſſet, vt id emptor venditori præſtaret ad diem pecunia non ſoluta,placet,venditori ex vendito eo nomine actionē eſſe. Nec conturbari debemus,quòd,inempto fundo facto,dicatur,actionem ex vendito futuram eſſe. in emptis enim & venditis potius id,quòd actum,quàm id, quod dictum ſit,ſequendum eſt. & cùm lege id dictum ſit:apparet hoc dumtaxat actum eſſe,ne venditor emptori, pecunia ad diem non ſoluta,obligatus eſſet:non vt omnis obligatio empti & venditi vtrique ſolueretur. 2 ¶ Conditio, quæ initio contractus dicta eſt,poſtea alia pactione immutari poteſt. ſicuti etiā abiri tota emptione poteſt, ſi nondum impleta ſunt,quæ vtrimque præſtari debuerunt.

7.*Vlpianus* libro 28.ad Sabinum.

HAEC venditio ſerui,*Si rationes domini computaſſet arbitrio*,conditionalis eſt:conditionales autem venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio.Sed vtrum hæc eſt venditionis cōditio,ſi ipſe dominus putaſſet ſuo arbitrio: an verò,ſi arbitrio viri boni: nam ſi arbitrium domini accipiamus,venditio nulla eſt: quemadmodum ſi quis ita vendiderit.*Si voluerit*:vel ſtipulāti ſic ſpōdeat,*Si voluero decem dabo*.neque enim debet in arbitrium rei conferri, an ſit obſtrictus placuit itaque veteribus,magis in viri boni arbitriū id collatum videri,quàm domini. ſi igitur rationes potuit accipere,nec accepit,vel accepit,fingit autem ſe non accepiſſe:impleta conditio emptionis eſt:& ex empto venditor conueniri poteſt. 1 ¶ Huiuſmodi emptio,*Quanti tu eum emiſti: quantum pretij in arca habeo*,valet.nec enim incertum eſt pretium tam euidenti venditione.magis enim ignoratur,quanti emptus ſit,quàm in rei veritate incertum eſt.

2 ¶ Si quis ita emerit,*Eſt mihi fundus emptus centum,& quanto pluris eum vendidero*: valet venditio,& ſtatim impletur.habet enim certum pretium centum: augebitur autem pretium, ſi pluris emptor fundum vendiderit.

8.*Pomponius* libro 9.ad Sabinum.

NEc emptio,nec venditio ſine re, quæ veneat, poteſt intellegi.& tamen fructus,& partus futuri recte ementur:vt,cùm editus eſſet partus, iam tunc,cùm contractum eſſet negotium,venditio facta intellegatur.ſed ſi id egerit venditor,ne naſcatur,aut fiant:ex empto agi poſſe. 1 ¶ Aliquando tamen & ſine re venditio intellegitur: veluti cùm quaſi alea emitur.quod fit,cum captum piſcium, vel auium,vel miſsilium emitur.emptio enim cōtrahitur,etiam ſi nihil inciderit: quia ſpei emptio eſt & quod miſsilium nomine eo caſu captum eſt,ſi euictum fuerit: nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur:quia id actum intellegitur.

9.*Vlpianus* libro 28.ad Sabinum.

IN venditionibus & emptionibus conſenſum debere intercedere,palàm eſt.ceterùm ſiue in ipſa emptione diſſentient,ſiue in pretio, ſiue in quo alio:emptio imperfecta eſt.Si igitur ego me fundū emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere Sempronianum putaſti: quia in corpore diſſenſimus:emptio nulla eſt.Idem eſt, ſi ego me Stichum, tu Pamphilum abſentem vendere putaſti.nam cùm in corpore diſſentiatur: apparet, nullam eſſe emptionem. 1 ¶ Si in nomine diſſentiamus,verum de corpore conſtet,nulla dubitatio eſt, quin valeat emptio & venditio. nihil enim facit error nominis,cùm de corpore conſtat. 2 ¶ Inde quæritur: ſi in ipſo corpore non erratur, ſed in ſubſtātia error ſit,vt puta ſi acetum pro vino veneat, æs pro auro,vel plumbum pro argento,vel quid aliud argento ſimile:an emptio & venditio ſit. Marcellus ſcripſit libro ſexto digeſtorum, emptionem eſſe & venditionem:quia in corpus conſenſum eſt, etſi in materia ſit erratum. ego in vino quidem conſentio:quia eadem propè οὐσία,*id eſt ſubſtantia*,eſt: ſi modò vinum acuit. ceterùm ſi vinum non acuit, ſed ab initio acetum fuit,vt embamma,*id eſt intinctus*:aliud pro alio veniſſe videtur.in ceteris autem nullam eſſe venditionem puto,quotiens in materia erratur.

10.*Paulus* libro 5.ad Sabinum

ALiter atque ſi aurum quidem fuerit, deterius autem,quàm emptor exiſtimaret: tunc enim emptio valet.

11.*Vlpianus* libro 28.ad Sabinum.

ALioquin quid dicemus, ſi cæcus emptor fuit, vel ſi materia erratur: vel in minùs perito diſcernendarum materiarum? in corpus eos conſenſiſſe dicemus:& quemadmodum conſenſum,qui non vidit? 1 ¶ Quòd ſi ego me virginem emere putarem,cùm eſſet iam mulier:emptio valebit: in ſexu enim non eſt erratum.ceterum ſi ego mulierem venderem,tu puerum emere exiſtimaſti: quia in ſexu error eſt:nulla emptio,nulla venditio eſt.

12.*Pomponius* libro 31.ad Quintum Mucium.

IN huiuſmodi autem quæſtionibus perſonæ ementium & vendentium ſpectari debent:non eorum,quibus adquiritur ex eo contractu actio.nam ſi ſeruus meus,vel filius; qui in mea poteſtate eſt, me præſente,ſuo nomine emat: non eſt quærendū, quid ego exiſtimem:ſed quid ille qui contrahit.

13.*Idem* libro 9.ad Sabinum.

SEd ſi ſeruo meo,vel ei,cui mandauero, vendas ſciens fugitiuum,illo ignorante,me ſciente:nō teneri te ex empto,verum eſt.

14.*Vlpianus* libro 28.ad Sabinum.

QVid tamen dicemus,ſi in materia, & qualitate ambo errarent?vtputa ſi & ego me vendere aurum putarem,& tu emere,cùm æs eſſet? vtputa coheredes viriolam,quæ aurea dicebatur,pretio exquiſito vni heredi vendidiſſent, eaque inuenta eſſet,magna ex parte, ænea? venditionem eſſe conſtat ideo,quia auri aliquid habuit. nam ſi inauratum aliquid ſit,licèt ego aureum putem, valet venditio.ſi autem æs pro auro veneat,non valet.

15.*Paulus* libro 5.ad Sabinum.

ET ſi conſenſum fuerit in corpus, id tamen in rerum natura ante venditionem eſſe deſierit: nulla emptio eſt. 1 ¶ Ignorantia emptori prodeſt, quæ in ſupinum hominem cadit. 2 ¶ Si rem meam mihi ignoranti vendideris:&, iuſſu meo alij tradideris:non putat Pomponius, dominium meum tranſire:quoniam non hoc mihi propoſitū fuit,ſed,quaſi tuum dominium ad eum tranſire. & ideo etiam ſi donaturus mihi rem meam, iuſſu meo,alij tradas:idem dicendum erit.

16.*Pomponius* libro 9.ad Sabinum.

SVæ rei emptio non valet:ſiue ſciens, ſiue ignorans emi.ſed ſi ignorans emi:quod ſoluero, repetere potero:quia nulla obligatio fuit.

1 ¶ Nec tamen emptioni obſtat,ſi in ea re vſusfructus dumtaxat ementis ſit.

17.*Paulus* libro 33.ad Edictum.

OFficio tamen iudicis pretium minuetur.

18.*Pomponius* libro 9.ad Sabinum.

SEd ſi communis ea res emptori cum alio ſit: dici debet, ſciſſo pretio pro portione, pro parte emptionem valere, pro parte non valere.



1 ¶ Si ſeruus domini iuſſu,in demonſtrandis finibus agri vēditi,vel errore,vel dolo plus demonſtrauerit: id tamen demonſtratum accipi oportet, quod dominus ſenſerit & idem Alfenus ſcripſit de vacua poſſeſſione per ſeruum tradita.

19.*Idem* libro 31.ad Quintum Mucium.

QVod vendidi, non aliter fit accipientis:quàm ſi aut pretium nobis ſolutum ſit, aut ſatis eo nomine factum, vel etiam fidem habuerimus emptori ſine vlla ſatisfactione.

20.*Idem* libro 9 ad Sabinum.

SAbinus reſpondit: ſi quam rem nobis fieri velimus etiam: veluti ſtatuam,vel vas aliquod, ſeu veſtem: vt nihil aliud quàm pecuniam, daremus: emptionem videri. nec poſſe vllam locationem eſſe,vbi corpus ipſum non detur ab eo, cui id fieret. aliter atque ſi aream darem, vbi inſulam ædificares:quoniam tunc a me ſubſtantia proficiſcitur.

21.*Paulus* libro 5.ad Sabinum.

LAbeo ſcripſit,obſcuritatem pacti nocere potiùs debere venditori,qui id dixerit,quàm emptori:quia potuit,re integra,apertiùs dicere

22.*Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

HAnc legem venditionis:*Si quid ſacri, vel religioſi eſt,eius venit nihil*,ſuperuacuam non eſſe,ſed ad modica loca pertinere. ceterum ſi omne religioſum,vel ſacrum,vel publicum venierit:nullam eſſe emptionem.

23.*Paulus* libro 5.ad Sabinum.

ET quod ſoluerit eo nomine, emptor condicere poteſt.

24.*Vlpianus* libro 28.ad Sabinum.

IN modicis autem ex empto eſſe actionem: quia non ſpecialiter locus ſacer, vel religioſus venit, ſed emptioni maioris partis acceſſit

25.*Idem* libro 34 ad Sabinum.

SI ita diſtrahatur, *Illa aut illa res*. vtram, eliget venditor,hæc erit empta.

1 ¶ Qui vendidit, neceſſe non habet fundum emptoris facere:vt cogitur, qui fundum ſtipulanti ſpopondit.

26 *Pomponius* libro 17.ad Sabinum.

SI ſciens emam ab eo, cui bonis interdictum ſit, vel cui tempus ad deliberandum de hereditate ita datum ſit,vt ei deminuendi poteſtas non ſit:dominus non ero. diſſimiliter atque ſi à debitore, ſciens creditorem fraudari,emero.

27 *Paulus* libro 8.ad Sabinum.

QVi à quolibet rem emit, quam putat ipſius eſſe:bona fide emit.at qui ſine tutoris auctoritate à pupillo emit, vel falſo tutore auctore,quem ſcit tutorem non eſſe:non videtur bona fide emere, vt & Sabinus ſcripſit.

28.*Vlpianus* libro 41 ad Sabinum.

REm alienam diſtrahere quem poſſe, nulla dubitatio eſt.nam emptio eſt & venditio:ſed res emptori auferri poteſt.

29.*Idem* libro 43 ad Sabinum.

QVotiens ſeruus venit, non cum peculio diſtrahitur.& ideo:ſiue non ſit exceptum: ſiue exceptum ſit,ne cum peculio veneat: non cum peculio diſtractus videtur. vnde ſi qua res fuerit peculiaris à ſeruo ſubrepta, condici poteſt, videlicet quaſi furtiua.hoc ita,ſi res ad emptorem peruenerit.

30.*Idem* libro 32.ad Edictum.

SEd ad exhibendum agi poſſe nihilominùs, & ex vendito,puto.

31.*Pomponius* libro 22 ad Sabinum.

SEd & ſi quid poſtea acceſſit peculio:reddendum eſt venditori:veluti partus, & quod ex operis vicarij perceptum eſt.

32 *Vlpianus* libro 44.ad Sabinum.

QVi tabernas argentarias,vel ceteras, quæ in ſolo publico ſunt,vendit:non ſolum,ſed ius vendit:cum iſtæ tabernæ publicæ ſunt, quarum vſus ad priuatos pertinet.

33.*Pomponius* libro 33.ad Sabinum.

CVm in lege venditionis ita ſit ſcriptum, *Flumina,ſtillicidia,vt nunc ſunt, vt ita ſint*, nec additur,quæ flumina,vel ſtillicidia:primùm ſpectari oportet,quid acti ſit:ſi non id appareat,tunc id accipitur,quod venditori nocet: ambigua enim oratio eſt.

34.*Paulus* libro 33.ad Edictum.

SI in emptione fundi dictum ſit, accedere Stichum ſeruum,neque intellegatur, quis ex pluribus acceſſerit,cùm de alio emptor, de alio venditor ſenſerit:nihilominus fundi venditionem valere conſtat. ſed Labeo ait,eum Stichum deberi, quem venditor intellexerit. nec refert, quanti ſit acceſſio:ſiue plus in ea ſit,quàm in ipſa re, cui accedat,an minus.pleraſque enim res aliquando propter acceſſiones emimus:ſicut cùm domus propter marmora,& ſtatuas,& tabulas pictas ematur.

1 ¶ Omnium rerum, quas quis habere,vel poſſidere,vel perſequi poteſt,venditio recte fit.quas verò natura,vel gentium ius,vel mores ciuitatis commercio exuerunt:earum nulla venditio eſt.

2 ¶ Liberum hominē ſcientes emere non poſſumus.ſed nec talis emptio,aut ſtipulatio admittēda eſt,*cum ſeruus erit*:quāuis dixerimus, futuras res emi poſſe.nec enim fas eſt,eiuſmodi caſus exſpectare.

3 ¶ Item ſi & emptor,& venditor ſcit, furtiuum eſſe,quod venit:à neutra parte obligatio contrahitur.ſi emptor ſolus ſcit,non obligabitur venditor. nec tamen ex vendito quidquam conſequitur:niſi vltrò, quod conuenerit, præſtet. quod ſi venditor ſcit, emptor ignorauit:vtrinque obligatio contrahitur.& ita Pomponius quoque ſcribit.

4 ¶ Rei ſuæ emptio tunc valet,cùm ab initio agatur,vt poſſeſſionem emat, quam forte venditor habuit:& in iudicio poſſeſſionis potior eſſet.

5 ¶ Alia cauſa eſt deguſtandi,alia metiendi. guſtus enim ad hoc proficit,vt improbare liceat.menſura verò non eo proficit, vt aut plus, aut minus veneat,ſed vt appareat,quantum ematur.

6 ¶ Si emptio ita facta fuerit,*Eſt mihi emptus Stichus,aut Pamphilus*:in poteſtate eſt venditoris,quem velit dare:ſicut in ſtipulationibus.ſed vno mortuo: qui ſupereſt, dandus eſt. & ideo prioris periculum ad venditorem, poſterioris ad emptorem reſpicit. ſed & ſi pariter deceſſerunt,pretium debebitur:vnus enim vtique periculo emptoris vixit. Idē dicendū eſt,etiam ſi emptoris fuit arbitrium, quem vellet habere: ſi modò hoc ſolum arbitrio eius commiſſum ſit,vt,quem voluiſſet, emptum haberet:non & illud,an emptum haberet.

7 ¶ Tutor rem pupilli emere non poteſt, idémque porrigendum eſt ad ſimilia:id eſt,ad curatores, procuratores,& qui negotia aliena gerunt.

35.*Gaius* libro 10.ad Edictum Prouinciale.

QVod ſæpe arræ nomine pro emptione datur: non eò pertinet,quaſi ſine arra conuentio nihil proficiat,ſed vt euidentius probari poſſit,conueniſſe de pretio.

1 ¶ Illud cōſtat,imperfectū eſſe negotium,cùm emere volenti ſic venditor dicit,*Quanti velis,quanti æquum putaueris,quanti æſtimaueris,habebis emptum*.

2 ¶ Veneni mali quidam putat non contrahi emptionem:quia nec ſocietas,aut mandatum flagitioſæ rei vllas vires habet. quæ ſententia poteſt ſane vera videri de his,quæ nullo modo,adiectione alterius materiæ,vſu nobis eſſe poſſunt. de his verò, quæ mixta aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt,vt ex his antidoti, & alia quædam ſalubria medicamēta conficiātur,aliud dici poteſt.

3 ¶ Si quis amico peregre eunti mādauerit,vt fugitiuum ſuū quærat:&,ſi inuenerit,vendat:nec ipſe contra ſenatuſconſultum cōmittit, quia non vendidit:neque amicus eius, quia præſentem vendit.

emptor quoque, qui præſenté emit, recte negotium gerere intellegitur.

4 ¶ Si res vendita, per furtum perierit: priùs animaduertendum erit, quid inter eos de cuſtodia rei conuenerat. ſi nihil appareat conueniſſe: talis cuſtodia deſideranda eſt à venditore, qualem bonus paterfamilias ſuis rebus adhibet. quam ſi præſtiterit, & tamen rem perdidit: ſecurus eſſe debet: vt tamen ſcilicet vindicationem rei, & condictionem exhibeat emptori. vnde videbimus in perſonam eius, qui alienam rem vendiderit: cùm is nullam vindicationem, aut condictionem habere poſſit, ob id ipſum damnandus eſt: quia, ſi ſuam rem vendidiſſet, potuiſſet eas actiones ad emptorem transferre.

5 ¶ In his, quæ pondere, numero, menſurave conſtant (veluti frumento, vino, oleo, argento) modò ea ſeruantur, quæ in ceteris, vt, ſimul atque de pretio conuenerit, videatur perfecta venditio: modò vt, etiam ſi de pretio conuenerit, non tamen aliter videatur perfecta venditio, quàm ſi admenſa, adpenſa, adnumeratave ſint. nam ſi omne vinum, vel oleum, vel frumentum, vel argentum, quàntumcunque eſſet, vno pretio venierit: idem iuris eſt, quod in ceteris rebus. quòd ſi vinum ita venierit, vt in ſingulas amphoras, item oleum, vt in ſingulos metretas: item frumentum, vt in ſingulos modios: item argentum, vt in ſingulas libras certum pretium diceretur: quæritur, quando videatur emptio perfici. quod ſimiliter ſcilicet quæritur & de his, quæ numero conſtant, ſi pro numero corporum pretium fuerit ſtatutum. Sabinus, & Caſſius tunc perfici emptionem exiſtimant, cùm adnumerata, admenſa, adpenſave ſint: quia venditio quaſi ſub hac conditione videtur fieri, vt in ſingulos metretas, aut in ſingulos modios, quos, quaſve admenſus eris, aut in ſingulas libras, quas adpenderis, aut in ſingula corpora, quæ adnumeraueris.

6 ¶ Ergo & ſi grex venierit: ſi quidem vniuerſaliter vno pretio: perfecta videtur, poſtquàm de pretio conuenerit: ſi vero in ſingula corpora certo pretio: eadem erunt, quæ proxime tractauimus.

7 ¶ Sed & ſi ex doleario pars vini venierit, veluti metretæ centum: veriſsimum eſt, (quod & conſtare videtur) antequàm admetiatur, omne periculum ad venditorem pertinere. nec intereſt, vnum pretium omnium centum metretarum in ſemel dictum ſit, an in ſingulos eos.

8 ¶ Si quis in vendendo prædio confinem celauerit, quem emptor ſi audiſſet, empturus non eſſet: teneri venditorem.

36. *Vlpianus* libro 43. ad Edictum.

CVm in venditione quis pretium rei ponit, donationis cauſa non exacturus: non videtur vendere.

37. *Idem* libro 3. Diſputationum.

SI quis fundum iure hereditario ſibi delatum ita vendidiſſet, *Erit tibi emptus tanti, quanti à teſtatore emptus eſt*: mox inueniatur non emptus, ſed donatus teſtatori: videtur quaſi ſine pretio facta venditio: ideoque ſimilis erit ſub conditione factæ venditioni: quæ nulla eſt, ſi conditio defecerit.

38. *Idem* libro 7. Diſputationum.

SI quis, donationis cauſa, minoris vendat: venditio valet. totiens enim dicimus, in totum venditionem non valere, quotiens vniuerſa venditio donationis cauſa facta eſt. quotiens verò viliore pretio res, donationis cauſa, diſtrahitur: dubium non eſt venditionem valere. hoc inter ceteros. inter virum verò, & vxorem donationis cauſa venditio facta pretio viliore, nullius momenti eſt.

39. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

SI debitor rem pigneratam à creditore redemerit, quaſi ſuæ rei emptor, actione ex vendito non tenetur: & omnia in integro ſunt creditori.

1 ¶ Veriſimile eſt, eum: qui fructum olivæ pendentis vendidiſſet, & ſtipulatus eſt decem pondo olei, quod natum eſſet: pretium conſtituiſſe ex eo, quod natum eſſet, vſque ad decem pondo olei. idcirco, ſolis quinque collectis, non amplius emptor petere poteſt, quàm quinque pondo olei, quæ collecta eſſent: à pleriſque reſponſum eſt.

40. *Paulus* libro quarto Epitomarum Alfeni Digeſtorum.

QVi fundum vendebat, in lege ita dixerat: vt emptor in diebus triginta proximis fundum metiretur, & de modo renũtiaret: &, ſi ante eam diem non renuntiaſſet, vt venditoris fides ſoluta eſſet. emptor intra diem menſuræ, quo minorem modum eſſe credidit, renuntiauit: & pecuniam pro eo accepit: poſtea eum fundum vendidit: &, cùm ipſe emptori ſuo admetiretur multo minorem modum agri, quàm putauerat, inuenit. quærebat, an id, quod minoris eſſet, conſequi à ſuo venditore poſſet. reſpondit, intereſſe, quemadmodũ lex diceretur. nam ſi ita dictum eſſet, vt emptor diebus triginta proximis fundum metiatur, & domino renũtiet, quanto modus agri minor ſit: quo poſt diem trigeſimum renuntiaſſet, nihil ei profuturum. ſed ſi ita pactum eſſet, vt emptor in diebus proximis fundum metiatur, & de modo agri renuntiet: & ſi in diebus triginta renuntiaſſet, minorẽ modum agri eſſe: quamuis multis poſt annis, poſſe eum, quo minor is modus agri fuiſſet, repetere.

1 ¶ In lege fundi aquam acceſſuram dixit. quærebatur, an etiam iter aquæ acceſſiſſet. reſpondit, ſi Vi videri id actum eſſe: & ideo iter quoque venditorem tradere oportere.

2 ¶ Qui agrum vendebat, dixit fundi iugera decem & octo eſſe: & quod eius admenſum erit, ad ſingula iugera certum pretium ſtipulatus erat. viginti inuenta ſunt. pro viginti debere pecuniam, reſpondit.

3 ¶ Fundi venditor frumenta manu ſata receperat. in eo fundo ex ſtipula ſeges erat nata quæſitum eſt, an pacto contineretur. reſpondit, maxime referre, quid eſt actum. ceterum, ſecundùm verba, eſſe actum, quod ex ſtipula naſceretur, non magis quàm ſi quid ex ſacco ſaccarij cecidiſſet, aut ex eo, quod auibus ex aëre cecidiſſet, natum eſſet.

4 ¶ Cùm fundum quis vendiderat, & omnem fructum receperat: & arundinem cæduam, & ſiluam in fructum eſſe, reſpondit.

5 ¶ Dolia, quæ in fundo domini eſſent, acceſſura dixit, etiam ea, quæ ſeruus, qui fundum coluerat, emiſſet, peculiaria emptori ceſſura reſpondit.

6 ¶ Rota quoque, per quam aqua traheretur, nihilominus ædificij eſt, quàm ſitula.

41. *Iulianus* libro 3 ad Vrſeium Ferocem.

CVm ab eo, qui fundum alij obligatum habebat, quidam ſic emptum rogaſſet, vt eſſet is ſibi emptus. ſi eum liberaſſet, dummodo ante kalendas Iulias liberaret: quæſitum eſt, an vtiliter agere poſſit ex empto in hoc, vt venditor eum liberaret. reſpondit: Videamus, quid inter ementem & vendentem actum ſit. nam ſi id actum eſt, vt omni modo intra kalendas Iulias venditor fundũ liberaret: ex empto erit pactio, vt liberet: nec ſub condicione emptio facta intellegetur: veluti ſi hoc modo emptor interrogauerit, *Erit mihi fundus emptus, ita vt eum intra Kalendas Iulias liberes*: vel, *ita vt eum intra Kalendas à Titio redimas*. ſi vero ſub condicione facta emptio eſt, non poterit agi, vt condicio impleatur.

1 ¶ Menſam argento coopertam mihi ignoranti pro ſolida vendidiſti imprudens. nulla eſt emptio pecuniaque eo nomine data, condicetur.

42. *Marcianus* libro 1. Inſtitutionum.

DOmini neque per ſe, neque per procuratores ſuos poſſunt ſaltem criminoſos ſeruos vendere



vendere, vt cum Veſtiis pugnarent. & ita Diui fratres reſcripſerunt.

43. *Florentinus* libro 8. Inſtitutionum.

EA, quæ commendandi cauſa in venditionibus dicuntur, ſi palam appareant, venditorem non obligant. veluti ſi dicat ſeruum ſpecioſum, domũ bene ædificatam. at ſi dixerit hominem litteratum, vel artificem: præſtare debet. nam hoc ipſo pluris vendit.

1 ¶ Quædam etiam pollicitationes venditorem non obligant, ſi ita in promptu res ſit, vt eam emptor non ignorauerit. veluti ſi quis hominem luminibus effoſſis emat, & de ſanitate ſtipuletur. nam de cetera parte corporis potiùs ſtipulatus videtur, quàm de eo, in quo ſe ipſe decipiebat.

2 ¶ Dolum malum à ſe abeſſe præſtare venditor debet. qui non tantùm in eo eſt, qui fallendi cauſa obſcure loquitur: ſed etiam, qui inſidioſe, obſcure diſſimulat.

44. *Marcianus* libro 3. Regularum.

SI duos quis ſeruos emerit pariter vno pretio, quorum alter ante venditionem mortuus eſt: neque in viuo conſtat emptio.

45. *Idem* libro 4. Regularum.

LAbeo libro poſteriorum ſcribit, ſi veſtimenta interpola quis pro nouis emerit, Trebatio placere, ita emptori præſtandum, quod intereſt ſi ignorans interpola emerit quam ſententiam & Pomponius probat. in qua & Iulianus eſt: qui ait: ſi quidem ignorabat venditor, ipſius rei nomine teneri: ſi ſciebat, etiam damni, quod ex eo contingit. quemadmodum ſi vas aurichalcum pro auro vendidiſſet ignorans: tenetur, vt aurum, quod vendidit, præſtet.

46. *Idem* libro ſingulari de Delatoribus.

NOn licet ex officio, quod adminiſtrat quis, emere quid vel per ſe, vel per aliam perſonam. alioquin non tantùm rem amittit, ſed & in quadruplum conuenitur ſecundùm conſtitutionem Seueri & Antonini. & hoc ad procuratorem quoque Cæſaris pertinet. ſed hoc ita ſe habet, niſi ſpecialiter quibuſdam hoc conſenſum eſt.

47. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

SI aquæ ductus debeatur prædio: & ius aquæ tranſit ad emptorem: etiam ſi nihil dictum ſit. ſicut & ipſæ fiſtulæ, per quas aqua ducitur:

48. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

LIcet extra ædes ſint.

49. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

ET quanquàm ius aquæ non ſequatur, quod amiſſum eſt: attamen fiſtulæ, & canales, dum ſibi ſequuntur, quaſi pars ædium ad emptorem perueniunt. & ita Pomponius libro decimo putat.

50 *Idem* libro 11. ad Edictum.

LAbeo ſcribit: ſi mihi bibliothecam ita vendideris, ſi decuriones Campani locum mihi vendidiſſent, in quo eam ponerem: & per me ſtet, quo minùs id à Campanis impetrem: non eſſe dubitandum, quin præſcriptis verbis agi poſſit. ego, etiam ex vendito agi poſſe, puto: quaſi impleta condicione: cùm per emptorem ſtet, quo minùs impleatur.

51. *Paulus* libro 21. ad Edictum.

LItora, quæ fundo vendito coniuncta ſunt, in modum non computantur: quia nullius ſunt, ſed iure gentium omnibus vacant. nec viæ publicæ, aut loca religioſa, vel ſacra itaque, vt proficiant venditori, caueri ſolet, vt viæ, item litora, & loca publica in modum cedant.

52. *Idem* libro 54. ad Edictum.

SEnatus cenſuit, ne quis domum, villamve dirueret, quo plus ſibi adquiReretur: neve quis, negotiandi cauſa, eorum quid emeret, venderétve. pœna in eum, qui aduerſus ſenatuſconſultum feciſſet, conſtituta eſt: vt duplum eius, quanti emiſſet, in ærarium inferre cogeretur: in eum vero, qui vendidiſſet, vt irrita fieret venditio. Plane ſi mihi pretiũ ſolueris: cùm tu duplum ærario debeas: repetes à me, quod à mea parte irrita facta eſt venditio. Nec ſolùm huic ſenatuſconſulto locus erit, ſi quis ſuam villam, vel domum, ſed & ſi alienam vendiderit.

53. *Caius* libro 28. ad Edictum Prouinciale.

VT res emptoris fiat: nihil intereſt, vtrùm ſolutum ſit pretium, an eo nomine fideiuſſor datus ſit. quod autem de fideiuſſore diximus, pleniùs acceptum eſt, qualibet ratione ſi venditori de pretio ſatisfactum eſt. veluti, expromiſſore, aut pignore dato, proinde ſit, ac ſi pretium ſolutum eſſet.

54. *Paulus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

REs bona fide vendita, propter minimam cauſam inempta fieri non debet.

55. *Idem* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

NVda, & imaginaria venditio pro non facta eſt. & ideo nec alienatio eius rei intellegitur.

56 *Idem* libro 50. ad Edictum.

SI quis ſub hoc pacto vẽdiderit ancillam, ne proſtituatur, &, ſi contra factum eſſet, vti liceret ei abducere: & ſi per plures emptores mancipium cucurrerit, ei, qui primò vendit, abducendi poteſtas ſit.

57. *Paulus* libro 5. ad Plautium.

DOmum emi: cùm eam & ego, & venditor, combuſtam ignoraremus: Nerua, Sabinus, Caſſius, nihil veniſſe: quamuis area maneat: pecuniamque ſolutam condici poſſe, aiunt. ſed ſi pars domus maneret: Neratius ait, hanc quæſtionẽ Multum intereſſe, quanta pars domus incendio conſumpta permaneat. vt, ſi quidem amplior domus pars exuſta eſt, non compellatur emptor perficere emptionem: ſed etiam, quod forte ſolutum ab eo eſt, repetet. ſin vero vel dimidia pars, vel minor, quàm dimidia, exuſta fuerit: tunc coartandus eſt emptor venditionem adimplere, æſtimatione viri boni arbitratu habita: vt quod ex pretio propter incendiũ decreſcere fuerit inuentum, ab huius præſtatione liberetur.

1 ¶ Sin autem venditor quidem ſciebat, domum eſſe exuſtam: emptor autem ignorabat: nullam venditionem ſtare, ſi tota domus ante venditionem exuſta ſit. ſi vero quantacumque pars ædificij remaneat, & ſtare venditionem: & venditorem emptori, quod intereſt, reſtituere.

2 ¶ Simili quoque modo, ex diuerſo tractari oportet, vbi emptor quidem ſciebat, venditor autem ignoraVat. & hic enim oportet: & venditionem ſtare: & omne pretium ab emptore venditori, ſi non depenſum eſt, ſolui: vel, ſi ſolutum ſit, non repeti.

3 ¶ Quod ſi vterque ſciebat, & emptor & venditor, domum eſſe exuſtam totam, vel ex parte: nihil actum fuiſſe: dolo inter vtranque partem compenſando: & iudicio, quod ex bona fide deſcendit, dolo ex vtraque parte veniente, ſtare non concedente.

58. *Papinianus* libro 10. Quæſtionum.

ARboribus quoque vento deiectis, vel abſumptis igne, dictum eſt, emptionem fundi non videri eſſe contractam, ſi contemplatione illarum arborum (veluti olìueti) fundus comparabatur: ſiue ſciente, ſiue ignorante venditore. ſiue autem emptor ſciebat, vel ignoraVat, vel vterque eorum: hæc optinent, quæ in ſuperioribus caſibus pro ædibus dicta ſunt.

59. *Celſus* libro 8. Digeſtorum.

CVm venderes fundum, non dixiſti, *Ita vt optimus maximuſque*: verũ eſt, quod Quinto Mucio placebat, non liberum, ſed qualis eſſet, fundum præſtari oportere. idem & in vrbanis prædiis dicendum eſt.

60. *Marcellus* libro 6. Digeſtorum.

COmprehenſum erat lege venditionis, dolia ſexaginta emptori acceſſura: cum eſſent

centum in venditoris fore poteſtate, reſponſum eſt, quæ vellet, dare.

61. *Idem* libro 20. Digeſtorum.

EXiſtimo, poſſe me id, quod meum eſt, ſub conditione emere: quia fortè ſperatur meum eſſe deſinere.

62 *Modeſtinus* libro 5. Regularum.

QVi officij cauſa in prouincia agit, vel militat, prædia comparare in eadem prouincia non poteſt: prӕterquam ſi paterna eius à fiſco diſtrahātur. 1 ¶ Qui neſciens, loca ſacra, vel religioſa, vel publica, pro priuatis comparauit: licet emptio non teneat: ex empto tamen aduerſus venditorem experietur: vt conſequatur, quod interfuit eius, ne deciperetur. 2 ¶ Res in auerſione empta, ſi non dolo venditoris factum ſit, ad periculum emptoris pertinebit: etiam ſi res adſignata non ſit.

63. *Iauolenus* libro 7. ex Caſsio.

CVm ſeruo dominus rem vendere certæ perſonæ iuſſerit: ſi alij vendidiſſet, quàm cui iuſſus erat: venditio non valet. idem iuris in libera perſona eſt. cùm perfici venditio non potuit in eius perſona, cui dominus venire eam noluit.

1 ¶ Demonſtratione fundi facta, fines nominari ſuperuacuum eſt. ſi nominentur: etiam ipſum venditorem nominare oportet, ſi fortè alium agrum confinem poſſidet.

64. *Idem* libro 2. Epiſtularum.

FVndus ille eſt mihi & Titio emptus. quæro, vtrum in partem, an in totum venditio cōſiſtat, an nihil actum ſit. reſpondi: Perſonàm Titij ſuperuacuò accipiēdam, puto: ideóque totius fundi emptiónem ad me pertinere.

65. *Idem* libro 11 ad Epiſtularum.

COnuenit mihi tecum, vt certum numerum tegularum mihi dares certo pretio. quod vt faceres, vtrùm emptio ſit, an locatio? reſpondit: Si ex meo fundo tegulas tibi factas vt darem, conuenit: emptionem puto eſſe, non conductionem. totiens enim conductio alicuius rei eſt, quotiens materia, in quo aliquid præſtatur, in eodem ſtatu eiuſdem manet. quotiens verò & immutatur, & alienatur: emptio magis, quàm locatio, intellegi debet.

66. *Pomponius* libro 31. ad Quintum Mucium.

IN vendendo fundo quædam, etiam ſi non condicantur, præſtanda ſunt: veluti ne fundus euincatur, aut vſusfructus eius, quædam ita demum, ſi dicta ſint, veluti viam, iter, actum, aquæ ductum præſtatu iri. idem & in ſeruitutibus vrbanorum prædiorum. 1 ¶ Si cùm ſeruitus venditis prædiis deberetur, nec commemorauerit venditor, ſed ſciens eſſe reticuerit, & ob id per ignorantiam rei emptor non vtendo per ſtatutum tempus eam ſeruitutem amiſerit: quidam rectè putant, venditorē, teneri ex empto ob dolum. 2 ¶ Quintus Mucius ſcribit: qui ſcribſit *Ruta caſa, quæque ædium, fundiue non ſunt*: bis idem ſcriptum. nam ruta cæſa ea ſunt, quæ neque ædium, neque fundi ſunt.

67. *Idem* libro 39. ad Quintum Mucium.

ALienatio cùm fit, cum ſua cauſa dominium ad alium transferimus, quæ eſſet futura, ſi apud nos ea res manſiſſet. idque toto iure ciuili ita ſe habet, præterquam ſi aliquid nominatim ſit conſtitutum.

68. *Proculus* libro 6. Epiſtularum.

SI, cùm fundum venderes, in lége dixiſſes, quod mercedis nomine à conductore exegiſſes, id emptori acceſſurum eſſe: exiſtimo te in exigendo non ſolùm bonam fidem, ſed etiam diligentiam præſtare debere: id eſt, non ſolùm vt à te dolus malus abſit, ſed etiam vt culpa. 1 ¶ Ferè aliqui ſolent hæc verba adicere, *Dolus malus à venditore aberit*, qui etiā ſi adiectum non eſt, abeſſe debet. 2 ¶ Nec videtur abeſſe, ſi per eum factum eſt, aut fiet, quo minùs fundum emptor poſſideat. erit ergo ex empto actio: non vt venditor vacuam poſſeſſionem tradat: cùm multis modis accidere poterit, ne tradere poſſit: ſed vt, ſi quid dolo malo fecit, aut facit: dolus malus eius æſtimaretur.

69. *Idem* libro 11. Epiſtularum.

RVtilia Polla emit lacum Sabatenem angularium, & circa eum lacum pedes decē. quæro: nunquid & decem pedes, qui tunc acceſſerunt, ſub aqua ſint, quia lacus creuit: an proximi pedes decē ab aqua, Rutiliæ Pollæ iuris ſint. Proculus reſpondit: Ego exiſtimo, eatenus lacum, quem emit Rutilia Polla, veniſſe, quatenus tunc fuit: & circa eum decem pedes, qui tunc fuerunt. nec ob eam rem, quòd lacus poſtea creuit, latiùs eum poſſidere debet, quàm emit.

70. *Licinnius Rufinus* libro 8. Regularum.

LIberi ominis emptionem contrahi poſſe, plerique exiſtimauerunt: ſi modò inter ignorantes id fiat, quod idem placet, etiam ſi venditor ſciat, emptor autem ignoret. quòd ſi emptor ſciens liberum eſſe, emerit: nulla emptio contrahitur.

71. *Papirius Iuſtus* libro primo Conſtitutionum.

IMperatores Antoninus, & Verus, Auguſti Sextio Vero in hæc verba reſcripſerunt: Quibus menſuris, aut pretiis negotiatores vina compararent, in contrahentium poteſtate eſſe. neque enim quiſquā cogitur vendere, ſi aut pretium, aut mēſura diſpliceat. præſertim ſi nihil contra conſuetudinem regionis fiat.

72. *Papinianus* libro 10. Quæſtionum.

PActa conuenta, quæ poſtea facta detrahunt aliquid emptioni, contineri contractu videntur, quæ verò adiciunt, credimus hoc non ineſſe. quod locū habet in his, quæ adminicula ſūt emptionis: vluti ne cautio duplæ præſtetur: aut vt cum fideiuſſore cautio duplæ præſtetur. ſed quo caſu, agente emptore, non valet pactum: idem vires habebit iure exceptionis, agente venditore. An idem dici poſſit, aucto poſtea, vel deminuto pretio: non immeritò quæſitum eſt: quoniam emptionis ſubſtantia conſtitit ex pretio. Paulus notat.: Si, omnibus integris manentibus de augendo, vel deminuēdo pretio rurſum conuenit, receſſum à priore contractu, & noua emptio interceſſiſſe videtur.

1 ¶ Papinianus: Lege venditionis illa facta, *Si quid ſacri, aut religioſi, aut publici eſt, eius nihil venit*. ſi res non in vſu publico, ſed in patrimonio fiſci erat: venditio eius valeVit: nec venditori proderit exceptio, quæ non habuit locum.

73. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

AEde ſacra terræ motu diruta, locus ædificij nō eſt profanus: & ideo venire non poteſt.

1 ¶ Intra maceriam ſepulchrorum hortis vel ceteris culturis loca pura ſeruata, ſi nihil venditor nominatim excepit, ad emptorem pertinent.

74. *Idem* libro 1. Definitionum.

CLauibus traditis, ita mercium in horreis conditarum poſſeſſio tradita videtur, ſi claues apud horrea traditæ ſint. quo facto, confeſtim emptor dominium, & poſſeſſionem adipiſcitur: & ſi nō aperuerit horrea. quòd ſi venditoris merces non fuerunt, vſucapio confeſtim inchoabitur.

75. *Hermogenianus* libro ſecundo Iuris Epitomarum.

QVi fundum vendidit: vt eum certa mercede cōductum ipſe habeat, vel, ſi vendat, non alij, ſed ſibi diſtrahat, vel ſimile aliquid paciſcatur: aT cōpiendum id, quod pepigerunt, ex vendito agere poterit.

76. *Paulus* libro 6. Reſponſorum.

DOlia in horreis defoſſa, ſi non ſint nominatim in venditione excepta, horreorum venditioni ceſſiſſe videri. 1 ¶ Eum, qui in locum



emptoris ſucceſsit, iſdem defenſionibus vti poſſe, quibus venditor eius vti potuiſſet: ſed longæ poſſeſsionis præſcriptione, ſi vtriuſque poſſeſsio impleat tempora conſtitutionibus ſtatuta.

77. *Iauolenus* libro 4. ex poſterioribus Labeonis.

IN lege fundi vendundi lapidicinæ in eo fundo, vbique eſſent, exceptæ erant: & poſt multum temporis in eo fundo repertæ erant lapidicinæ. eas quoque venditoris eſſe Tubero reſpondit. Labeo. referre, quid actum ſit. ſi non appareat, non videri eas lapidicinas eſſe exceptas: neminem enim nec vendere, nec excipere, quod non ſit: & lapidicinas nullas eſſe, niſi quæ appareant, & cædantur. aliter interpretantibus, totum fundum lapidicinarum fore, ſi fortè toto eo ſub terra eſſet lapis. hoc probo.

78. *Labeo* libro quarto Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

FIſtulas emptori acceſſuras in lege dictum erat, quærebatur, an caſtellum, ex quo fiſtulis aqua duceretur, accederet. reſpondi, apparere id actum eſſe, vt id quoque accederet, li et ſcriptura non contineretur. 1 ¶ Fundum ab eo emiſti, cuius filij poſtea tutelam adminiſtrans, nequaquam accepiſti poſſeſsionem dixi, tradere te tibi poſſeſsionem hoc modo poſſe, vt pupillus & familia eius decedat de fundo, tunc demum tu ingrediaris poſſeſsionem.

2 ¶ Qui fundum ea lege emerat, vt, ſoluta pecunia, traderetur ei poſſeſsio: duobus heredibus relictis, deceſsit. ſi vnus omnem pecuniam ſoluerit, partem familiæ erciſcundæ iudicio ſeruauit. nec, ſi partem ſoluat, ex empto cum venditore aget. quoniam ita contractum æs alienum, diuidi non potuit.

3 ¶ Frumenta, quæ in herVis erant, cùm vendidiſſes: dixiſti te, ſi quid vi, aut tempeſtate factum eſſet, præſtaturum. ea frumenta niues corruperunt. ſi immoderatæ fuerunt, & contra conſuetudinem tempeſtatis: agi tecum ex empto poterit.

79. *Iauolenus* libro 5. ex Poſterioribus Labeonis.

FVndi partē dimidiam ea lege vendidiſti, vt emptor alterā partem, quam retinebas, annis decē certa pecunia, in annos ſingulos conductam habeat. Labeo, & Trebatius negant, poſſe ex vendito agi; vt id, quod conuenerit fiat. ego contra puto: ſi modo ideo vilius fundum vendidiſti, vt hæc tibi cōductio præſtaretur. nam hoc ipſum, pretium fundi videretur, quod eo pacto venditus fuerat. eóque iure vtimur.

80. *Labeo* libro quinto Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

CVm manu ſata in venditione fundi excipiuntur: non quæ in perpetuo ſata ſunt excipi videntur: (ſed) quæ ſingulis annis ſeri ſolent, ita vt fructus eorum tollatur. nam aliter interpretantibus, vites, & arbores omnes exceptæ videbuntur.

1 ¶ Huius rei emptionem poſſe fieri dixi, *Quæ ex meis ædibus in tuas ædes proiecta ſunt, vt ea mihi, ita habere liceat*: déque ea re ex empto agi.

2 ¶ Silua cædua in quinquennium venierat, quærebatur, cum glans decidiſſet, vtrius eſſet. ſcio Seruium reſpondiſſe, primùm ſequendum eſſe, quod appareret actum eſſe, quod ſi in obſcuro eſſet: quæcumque glans ex his arboribus, quæ cæſæ non eſſent, cecidiſſet, venditoris eſſet: eam autem, quæ in arboribus fuiſſet eo tempore, cùm hæ cæderentur, emptoris.

3 ¶ Nemo poteſt videri eam rē vendidiſſe, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem tranſeat. ſed hoc aut locatio eſt, aut aliud genus contractus.

81. *Scæuola* libro 7. Digeſtorum.

TItius: cùm mutuos acciperet tot aureos ſub vſuris, dedit pignori ſiue hypothecæ prædia & fideiuſſorem Lucium: cui promiſit, intra triennium proximum ſe eum liberaturum, quod ſi id non fecerit die ſupraſcripta, & ſoluerit debitum fideiuſſor creditori: iuſsit prædia empta eſſe, quæ creditoribus obligauerat. quæro, cum (non) ſit liberatus Lucius fideiuſſor à Titio, an, ſi ſoluerit creditori, empta haberet ſupraſcripta prædia. reſpondit: ſi non, vt in cauſam obligationis, ſed, vt empta habeat, ſub condicione emptio facta eſt: & contractam eſſe obligationem.

1 ¶ Lucius Titius promiſit de fundo ſuo centum milia modiorum frumenti annua præſtare prædiis Gaij Seij. poſtea Lucius Titius vendidit fundum, additis verbis his: *Quo iure, quaque condicione ea prædia Lucij Titij hodie ſunt, ita veneunt, itaque habebuntur*. quæro, an emptor Gaio Seio ad præſtationem frumenti ſit obnoxius. reſpondit, emptorē Gaio Seio, ſecundùm ea: quæ proponerentur, obligatum non eſſe.

## DE IN DIEM ADDICTIONE,

## TIT. II.

*Paulus* libro 5. ad Sabinum.

IN diem addictio ita fit: *Ille fundus centum eſto tibi emptus, niſi ſi quis intra Kalendas Ianuareas proximas meliorem condicionem fecerit, quo res à domino abeat.*

2. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

QVotiens fundus in diem addicitur: vtrùm pura emptio eſt, ſed ſub condicione reſoluitur: an vero cōdicionalis ſit magis emptio, quæſtionis eſt. & mihi videtur verius intereſſe, quid actū ſit. Nam ſi quidem hoc actū eſt, vt, meliore allata condicione, diſcedatur: erit pura emptio, quæ ſub cōdicione reſoluitur. ſin autem hoc actum eſt, vt perficiatur emptio, niſi melior condicio offeratur: erit emptio cōdicionalis. 1 ¶ Vbi igitur, ſecundùm quod diſtinximus, pura venditio eſt: Iulianus ſcribit, hunc, cui res in diem addicta eſt, & vſucapere poſſe: & fructus, & acceſſiones lucrari: & periculum ad eum pertinere, ſi res interierit:

3. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

QVoniam poſt interitum rei iam nec adferri poſſit melior condicio.

4 *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

VBi autem cōdicionalis venditio eſt: negat Pomponius, vſucapere eum poſſe: nec fructus ad eum pertinere. 1 ¶ Idem Iulianus libro quintodecimo quærit:

SI res in diem addicta, interciderit, vel ancilla deceſſerit: an partus, vel fructus eius nomine, adiectio admitti poſsit. & negat, admittendam adiectionem: quia alterius rei, quàm eius, quæ diſtracta eſt, non ſolet, adiectio admitti.

2 ¶ Idem Iulianus eodem libro ſcribit:

SI ex duobus ſeruis viginti venditis, & in diem addictis, alter deceſſerit: deinde vnius nomine, qui ſupereſt: emptor extiterit, qui ſupra viginti promitteret, an diſcedatur à priore contractu? & ait: diſſimilem eſſe hanc ſpeciem partus ſpeciei: & ideo hic diſcedi à priore emptione, & ad ſecunda perueniri. 3 ¶ Sed & Marcellus libro quinto digeſtorum ſcribit, pure vendito, & in diem addicto fundo, ſi melior condicio allata ſit, rem pignori eſſe deſinere, ſi emptor eum fundum pignori dediſſet. ex quo colligitur, quod emptor medio tempore dominus eſſet. alioquin nec pignus teneret.

4 ¶ Idē Iulianus libro octogenſimo octauo digeſtorū ſcripſit, eum, qui emit fundum in diem, interdicto *Quod vi aut clam* vti poſſe. nam hoc interdictū ei competit, cuius intereſt. opus non eſſe factum. Fundo autem (inquit) in diem addicto: & commodum, & incommodum omne ad emptorem pertinet, antequam venditio transferatur. & ideo, ſi quid tunc vi aut clam factum eſt: quamuis

melior condicio allata fuerit, ipſe vtile interdictum habebit : ſed eam actionem, ſicut fructus inquit, quos percepit, venditi iudicio præſtaturum.

5 ¶ Cùm igitur tunc recedatur ab emptione, vbi pure contrahitur, vel tunc non impleatur, vbi ſub condicione fit, cùm melior condicio ſit allata: ſi falſus emptor ſubiectus ſit, eleganter ſcribit Sabinus, priori rem eſſe emptam: quia non videatur melior condicio allata eſſe, non exiſtente vero emptore. ſed & ſi exiſtat alius emptor, meliorem tamen condicionem non adferat: æque dicendum erit, perinde haberi, ac ſi non exiſteret.

6 ¶ Melior autem condicio adferri videtur, ſi pretio ſit additum. ſed & ſi nihil pretio addatur, ſolutio tamen afferatur facilior pretij vel maturior : melior condicio adferri videtur. præterea, ſi locus oportunior ſoluendo pretio dicatur, æque melior condicio allata videtur. & ita Pomponius libro nono ex Sabino ſcribit: idem ait, & ſi perſona idonEor accedat ad emptionem, æque videri meliorem condicionem allatam. proinde ſi quis accedat eiuſdem pretij emptor, ſed qui leuioribus emat condicionibus, vel qui ſatiſdationem nullam exigat: melior condicio allata eſſe videVitur ergo idem erit probandum : & ſi viliori pretio emere ſit paratus: ea tamen remittat, quæ venditori grauia erant in priore emptione.

5. *Pomponius* libro 6 ad Sabinum.

QVidquid enim ad vtilitatem venditoris pertinet, pro meliore condicione haberi debet.

6. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

ITem quod dictum eſt, fructus interea captos emptorem priorem ſequi, totiens verum eſt: quotiês nullus emptor exiſtit, qui meliorem condicionem adferat : vel falſus exſiſtit. ſin vero exſtitit emptor poſterior: fructus refundere priorem debere, conſtat: ſed venditori. & ita Iulianus libro quadrageſimo octauo digeſtorum ſcripſit.

1 ¶ Si quis extiterit, qui meliorem condicionê adferat, deinde prior emptor aduerſus eum licitatus ſit, & penes eum emptore Manſerit: dubitari poterit: vtrum fructus ipſe habeat, quaſi nulla meliore condicione allata : an vero venditoris ſint, licet eadem ſit perſona, quæ meliorem condicionem attulit. quod ratio facere videtur. interierit tamen, quid acti ſit. & ita Pomponius ſcribit.

7. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

LIcet autem venditori, meliore allata condicione, addicere poſteriori : niſi prior paratus ſit plus adicere.

8. *Idem* libro 33. ad Edictum.

NEceſſe autem habebit venditor, meliore condicione allata, priorem emptorem certiorem facere: vt, ſi quid alius adicit, ipſe quoque adicere poſſit.

9. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SAbinus ſcribit, licere venditori meliorem condicionem oblatam abicere, ſequique primam quaſi meliorem. & ita vtimur. quid tamen ſi hoc erat nominatim actum, vt liceret reſilire emptori meliore condicione allata? dicendum erit, diſſolutam priorem emptionem, etiam ſi venditor ſequentem non admittat.

10. *Iulianus* libro 13. Digeſtorum.

SEd ſi proponatur, à creditore pignus in diem addictum, non poteſt videri bona fide negotium agi, niſi adiectio recipiatur. quid ergo eſt, ſi inops emptor, & impediendæ tantummodo venditionis cauſa interuenit? poteſt creditor, ſine periculo, priori emptori addicere.

11. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

QVod autem Sabinus ſcribit, fundum in diem addici non poſſe, rurſus, qui ſemel fuerit in diem addictus : ratione eiuſmodi defendit : quia prioris, inquit, emptoris ſtatim ſit : ſcilicet quaſi non videatur melior condicio allata, ſi non ſecure ſecundo emptori fundus addicitur, ſed alia licitatio proſpicitur. ſed Iulianus libro quintodecimo digeſtorum ſcripſit, intereſſe multum, quid inter contrahentes actum ſit : nec impedire quidquam, vel hoc agi, vt ſæpiùs fundus collocetur, dum vel prima, vel ſecunda, vel tertia adiectione res à venditore diſcedat.

1 ¶ Item quod Sabinus ait : ſi, tribus vendentibus, duo poſteriori addixerint, vnus non admiſerit adiectionem : huius partem priori, duorum poſteriori emptam, ita demum verum eſt, ſi variis pretiis partes ſuas diſtraxerunt:

12. *Pomponius* libro 9 ad Sabinum.

ET ſi diſpares partes vendentium fuerint.

13. *Vlpianus* libro 28 ad Sabinum.

QVod ſi vno pretio vendiderint : dicendum eſt, totam priori emptam manere: quemadmodum ſi quis mihi totum fundum ad diem addixiſſet, poſtea verò pretio adiecto, dimidiã alij addixerit. Celſus quoque libro octauo digeſtorum refert, Muciũ, Brutum, Labeonem, quod Sabinum exiſtimare. ipſe quoque Celſus idem probat & adicit, mirari ſe, à nemine animaduerſum, quod ſi prior emptor ita contraxit, vt niſi totum fundum emptum nollet habere, nõ habere eum eam partem emptam, quam vnus ex ſociis poſteriori emptori addicere noluit.

1 ¶ Verum eſt autem, vel vnum ex venditoribus poſſe meliorem adferre condicionem: emere enim cum tota re etiam noſtram partem poſſumus.

14. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SI venditor ſimulauerit meliorem allatam condicionem: cùm minoris, vel etiam tantidem alij venderet: vtrique emptori in ſolidũ erit obligatus.

1 ¶ Sed ſi emptor alium non idoneum ſubiecit, eique fundus addictus eſt: non video, (inquit) quêadmodum priori ſit emptus, cùm alia venditio & vera poſtea ſubſecuta ſit. ſed verum eſt, venditorem deceptum ex vendito actionem habere cum priore emptore, quanti ſua interſit, id non eſſe factum. per quam actionem & fructus, quos prior emptor percepit, & quo deterior res culpa vel dolo malo eius facta ſit, recipiet venditor. & ita Labeoni, & Neruæ placet.

2 ¶ Sed ſi neuter ſubiecit emptorem : maiorê autem pretio addictum eſt prædium ei, qui ſoluendo non eſt: abitum eſt à priore emptione : quia ei melior intellegitur, quàm venditor comprobabit, cui licuit non addicere.

3 ¶ Sed & ſi pupillus poſtea ſine tutoris auctoritate pluris emerit: conſentiente venditore, abibitur à priore emptione. Idem & de ſeruo alieno. Aliter atque ſi ſeruo ſuo, vel filio, quem in poteſtate habet, vel domino rei per errorem id addixerit: quia nõ eſt emptio his caſibus. Quod ſi alieno ſeruo, quem putauerit liberum eſſe, addixerit : contrà ſe habebit: & erit hic ſimilis egenti.

4 ¶ Emptorem, qui meliorem condicionem attulerit, præter corpus nihil ſequitur, quod venierit.

5 ¶ Non tamen ideo, ſi tantumdem pretium alius det, hoc ipſo, quòd fructus eum non ſequantur qui ſecuturi eſſent priorem emptorem, melior condicio videtur allata: quia non id agitur inter emptorem, & venditorem.

15. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

SI, prædio in diem addicto, ante diem venditor mortuus ſit. ſiue poſt diem heres ei exſiſtat, ſiue omnino non exſiſtat, priori prædium emptum eſt : quia melior condicio allata, quæ domino placeat, intellegi non poteſt : cùm is, qui vendat : non exſiſtat. quòd ſi intra diem adiectionis heres exſiſtat, melior condicio ei adferri poteſt. 1 ¶ Si fundus in diem addictus fuerit pluris, vt quædam ei accedant, quæ non acceſſerint priori emptori : ſi non minoris ſint hæ res, quàm quo pluris poſtea fundus venierit: prior venditio valet, quaſi melior condicio allata nõ ſit, ſi minoris ſint. Idémq; æſtimandum eſt, ſi dies longior pretij ſoluendi data fuerit: vt quæratur quãtum ex vſura eius temporis capi potuerit.



16. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

IMperator Seuerus reſcripſit: Sicut fructus in diem addictæ domus, cùm melior condicio fuerit allata, venditori reſtitui neceſſe eſt : ita rurſus, quæ prior emptor medio tempore neceſſariò proVauerit erogata, de reditu retineri : vel, ſi non ſufficiat, ſolui æquum eſt. & credo ſenſiſſe principem de empti venditi actione.

17. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

CVm duo ſerui duobus ſeparatim denis in diem addicti ſint; & exſtiterit, qui pro vtroq; triginta det: refert, vnius precio decem, an ſingulorum quina adiciat. ſecundùm ſuperiorem adiectionem, is ſeruus inemptus erit, cuius pretio adiectio facta fuerit. ſecundùm poſteriorem adiectionem, vterq; ad poſteriorem emptorem pertinebit. quod ſi incertum ſit, ad vtrius pretium addiderit, à priore emptione non videbitur eſſe diſceſſum.

18. *Africanus* libro 3. Quæſtionum.

CVm in diem duobus ſociis fundus ſit addictus, vno ex his pretium adiciente; etiam prò ipſius parte à priore venditione diſcedi, rectiùs exiſtimatur.

19. *Iauolenus* libro 2. ex Plautio.

FVndo in diem addicto, ſi poſtea pretium adiectum eſt, & venditor, alio fundo applicito, enim ipſum fundum poſteriori emptori addixit, & id ſine dolo malo fecit: priori emptori obligatus non erit. nam quamuis non id tantùm, quod in diem addictum eſt, ſed aliud quoq; cum eo venierit : tamen, ſi venditor dolo caret, prioris emptoris cauſa abſoluta eſt id enim ſolum intuendum eſt, an priori venditori bona fide facta ſit adiectio.

20. *Papinianus* libro 3. Reſponſorum.

PRior emptor poſt meliorem condicionem oblatam, ob pecuniam in exordio venditori de pretio ſolutam, contra ſecundum emptorem, citra delegationem iure ſtipulationis interpoſitam, agere non poteſt.

DE LEGE COMMISſoria.

TIT. III.

*Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SI fundus commiſſoria lege venierit: magis eſt, vt ſub condicione reſolui emptio, quàm ſub condicione contrahi videatur.

2. *Pomponius* libro 35. ad Sabinum.

CVm venditor fundi in lege ita cauerit, *Si ad diê pecunia ſoluta non ſit: vt fundus inemptus ſit*: ita accipitur inemptus eſſe fundus, ſi venditor inemptũ eum eſſe velit : quia id venditoris cauſa caueretur. nam ſi aliter acciperetur: exuſta villa, in poteſtate emptoris futurum, vt, non dando pecuniam, inemptum faceret fundum, qui eius periculo fuiſſet.

3. *Vlpianus* libro 30. ad Edictum.

NAm legem commiſſoriam, quæ in venditionibus adicitur, ſi volet, venditor exercebit: non etiam inuitus.

4. *Idem* libro 32. ad Edictum.

SI fundus lege commiſſoria venierit, hoc eſt, vt niſi intra certum diem pretium ſit exſolutum, inemptus fieret: videamus, quemadmodum venditor agat tam de fundo, quàm de his, quæ ex fundo percepta ſint: itémq; ſi deterior fundus effectus ſit facto emptoris. & quidem finita eſt emptio. ſed iam deciſa quæſtio eſt, ex vendito actionem competere : vt reſcriptis Imperatoris Antonini, & Diui Seueri declaratur. 1 ¶ Sed, quod ait Neratius, habet rationem; vt interdum fructus emptor lucretur, cùm pretium, quod numerauit, perdidit. igitur ſententia Neratij tunc habet locum, quæ eſt humana, quando emptor aliquàm partem pretij dedit. 2 ¶ Eleganter Papinianus libro tertio reſponſorum ſcribit: ſtatim atq; commiſſa lex eſt, ſtatuere venditorem debere, vtrùm commiſſoriam velit exercere, an potiùs pretium petere; nec poſſe, ſi commiſſoriam elegit, poſtea variare. 3 ¶ In commiſſoriam etiam hoc ſolet conuenire: vt, ſi venditor eundem fundum venderet; quanto minoris vendiderit, id à priore emptore exigat. erit itaq; aduerſus eum ex vendito actio.

4 ¶ Marcellus libro viceſimo dubitat; commiſſoria vtrùm tunc locum habet, ſi interpellatus non ſoluat: an vero ſi non obtulerit. & magis arbitror, offerre eum debere, ſi vult ſe legis commiſſoriæ poteſtate ſoluere. quod ſi non habet, cui offerat: poſſe eſſe ſecurum.

5. *Neratius* libro 5. Membranarum.

LEge fundo vendito dicta, vt ſi intra certum tempus pretium ſolutum non ſit, res inempta ſit : de fructibus quos interim emptor percepiſſet, hoc agi intellegendum eſt, vt emptor interim eos ſibi ſuo quoq; iure perciperet. ſed ſi fundus reueniſſet, Ariſto exiſtimabat, venditori de his iudicium in emptorem dandum eſſe : quia nihil penes eum reſidere oporteret ex re in qua fidem fefelliſſet.

6. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

DE lege commiſſoria interrogatus ita reſpondit; ſi per emptorem factum ſit, quominus legi pareretur, & ea lege vti venditor velit, fundos inemptos fore; & id, quod arræ, vel alio nomine datum eſſet, apud venditorem remanſurum. 1 ¶ Idem reſpondit, ſi ex lege inempti ſint fundi; nec id, quod acceſſurum dictum eſt, emptori deberi.

2 ¶ Poſt diem lege commiſſoria comprehenſum venditor partem reliquæ pecuniæ accepit. reſpondit; ſi poſt ſtatutum diem reliquæ pecuniæ, venditor legem dictam non exercuiſſet, & partem reliqui debiti accepiſſet; videri receſſum à commiſſoria.

7. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

POſt diem lege commiſſoriæ legi præſtitutum; ſi venditor pretium petat, legi commiſſoriæ renuntiatum videtur. nec variare, & ad hanc redire poteſt.

8. *Scæuola* libro 7. Reſponſorum.

MVlier fundos Gaio Seio vendidit; & acceptis arræ nomine certis pecuniis, ſtatuta ſunt tempora ſolutioni reliquæ pecuniæ. quibus ſi non paruiſſet emptor pactus eſt, vt arram perderet, & inemptæ villæ eſſent. die ſtatuto emptor teſtatus eſt, ſe pecuniam omnem reliquam paratum fuiſſe exſoluere, & ſacculum cum pecunia ſignatorum ſignis obſignauit; defuiſſe autem venditricem. poſteriore autê die nomine fiſci teſtato conuentum emptorem, ne ante mulieri pecuniam exſolueret, quàm fiſco ſatisfaceret. Quæſitum eſt, an fundi non ſint in ea cauſa, vt à venditrice vindicari debeant ex conuentione venditoris. Reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, non commiſiſſe in legem venditionis emptorem.

DE HEREDITATE, VEL actione vendita.

TIT. IV.

*Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

SI hereditas venierit eius, qui viuit, aut nullus ſit: nihil eſſe acti: quia in rerum natura non ſit, quod venierit.

2. *Vlpianus* libro 49. ad Edictum.

VEnditor hæreditatis ſatiſdare de euictione non debet : cum id inter ementem, & vendentem agatur; vt neque ampliùs, neque minùs iuris emptor habeat, quàm apud heredem futurum eſſet. plane de facto ſuo venditor ſatiſdare

V

cogendus eſt. 1 ¶ In hereditate vendita vtrùm ea quantitas ſpectatur, quæ fuit mortis tempore: an ea quæ fuit, cùm aditur hereditas an ea, quæ fuit, cùm hereditas venumdatur, videndum erit. & verius eſt, hoc eſſe ſeruandum: quod actum eſt. plerumque autem hoc agi videtur: vt quod ex hereditate peruenit in id tẽpus, quo venditio ſit, id videatur veniſſe.

2 ¶ Illud poteſt quæri, ſi etiam impuberi ſit ſubſtitutus is, qui vendidit hereditatem teſtatoris an etiam id, quod ex impuberis hereditate ad eum, qui vendidit hereditatem, peruenit, ex empto actioni locum faciat. & magis eſt, ne veniat: quia alia hereditas eſt licet enim vnum teſtamentum ſit; alia tamen, atque alia hereditas eſt. plane ſi hoc actum ſit: dicendum erit, etiam impuberis hereditatem in venditionem venire: maxime ſi, iam delata impuberis hereditate, venierit hereditas.

3 ¶ Perueniſſe ad venditorem hereditatis quomodo videatur, quæritur. & ego puto, antequã quidem corpora rerum hereditariarum nactus venditor fuerit, hactenus videri ad eum perueniſſe, quatenus mandare poteſt earum rerum perſecutionem, actionéſque tribuere. enimuero vbi corpora nactus eſt, vel debita exegit: plenius ad eum videri perueniſſe. Sed & ſi rerum venditarum ante hereditatem venditam pretia fuerit conſecutus: palam eſt, ad eũ pretia rerum perueniſſe. Illud tenendum eſt, cum effectu videri perueniſſe, non prima ratione. idcirco, quod legatorum nomine quis præſtitit, non videtur ad eum perueniſſe. ſed & ſi quid æris alieni eſt, vel cuius alterius oneris hereditarij: perueniſſe meritò negabitur. Sed & rerum ante venditionem donatarum pretia præſtari, æquitatis ratio exigit.

4 ¶ Non tamen autem, quod ad venditorem hereditatis peruenit, ſed & quod ad heredem eius ex hereditate peruenit, emptori reſtituendum eſt. & nõ ſolùm quod iam peruenit, ſed & quod quandoque peruenerit, reſtituendum eſt.

5 ¶ Sed & ſi quid dolo malo eorum factum eſt quo minus ad eos perueniat, & hoc emptori præſtandũ eſt. feciſſe autem dolo malo, quo minus perueniat, videtur: ſiue alienabit aliquid, vel etiam acceptò quẽm liberauit: vel id egit dolo malo, ne de hereditate adquiretur, vel ne poſſeſſionem adipiſceretur, quam poſſet adipiſci. Sed & ſi non dolo malo, ſed lata culpa admiſerit aliquid: vtique tenebitur. Deperdita autem, & deminuta ſine dolo malo venditoris, non præſtabuntur.

6 ¶ Illud quæſitum eſt, an venditor hereditatis ob dbitum à filio ſuo, qui in poteſtate eius eſſet, ſeruóve, ei, cuius hereditatem vendidiſſet, præſtare debeat emptori. & viſum eſt: quidquid dumtaxat de peculio filij, ſeruive, aut in ſuam rem verſum inueniatur: præſtare eum debere.

7 ¶ Solet quæri, an, & ſi quid lucri occaſione hereditatis venditor ſenſerit, emptori reſtituere id debeat. & eſt apud Iulianum hæc quæſtio tractata libro ſexto digeſtorum. & ait, quod non debitum exegerit, retinere heredem: & quod non debitum ſoluerit, non reputare. nam hoc ſeruari, vt heres emptori non præſtet, quod non debitum exegerit, neque ab eo conſequatur, quod non debitum præſtiterit: Si autem condemnatus præſtiterit: hoc ſolum heredi ſufficit eſſe eum condemnatum ſine dolo malo ſuo: etiam ſi maxime creditor non fuerit is, cui condemnatus eſt heres. quæ ſententia mihi placet.

8 ¶ Non ſolùm autem hereditarias actiones ſed etiam eas obligationes, quas ipſe heres conſtituit, dicendum erit præſtari emptori debere. Itaque & ſi fideiuſſorem acceperit ab hereditario debitore: ipſam hanc actionem, quam habet heres, præſtare emptori debebit. ſed & ſi nouauerit, vel in iudicium deduxerit actionem: præſtare debebit hanc ipſam actionem, quam nactus eſt.

9 ¶ Sicuti lucrum omne ad emptorem hereditatis reſpicit, ita damnũ quoque debet ad eundem reſpicere.

10 ¶ Denique ſi rem hereditariam heres vendiderit, ac per hoc fuerit condemnatus: non habet contra emptorem actionem: quia non ideo condemnatur, quod heres eſſet, ſed quod vendiderit. Sed ſi pretium rei diſtractæ emptori hereditatis dedit: videamus an locus ſit ex vendito actioni. & putem, eſſe.

11 ¶ Siue ipſe venditor dederit aliquid pro hereditate, ſiue procurator eius: ſiue alius quis pro eo, dum negotium eius gerit: locus erit ex vendito actioni: dummodo aliquid abſit venditori hereditatis. ceterum ſi nihil abſit venditori: conſequens erit dicere, non competere ei actionem.

12 ¶ Apud Iulianum ſcriptum eſt: ſi venditor hereditatis exceperit ſeruum ſine peculio, & eius nomine, cum eo fuerit actum de peculio, & in rẽ verſo, id dumtaxat eũ cõſequi, quod præſtiterit eius peculij nomine, quod emptorẽ ſequi debeat, aut quod in rẽ defuncti verſum eſt. his enim caſibus æs alienum emptoris ſoluit. ex ceteris cauſis ſuo nomine condemnetur.

13 ¶ Quid ergo, ſi ſeruum cum peculio exceperit venditor hereditatis, conuentuſque de peculio præſtitit? Marcellus libro ſexto digeſtorum, non petere eum, ſcribſit: ſi modo hoc actum eſt, vt, quod ſuperfuiſſet ex peculio, hoc haberet. at ſi contra actum eſt: recte repetere eum poſſe, ait. ſi vero nihil expreſſim inter eos conuenit, ſed tantummodo peculij mentio facta eſt: ceſſare ex vendito actionem, conſtat.

14 ¶ Si venditor hereditatis ædes ſibi exceperit, quarum nomine damni infecti promiſſum fuerat: intereſt, quid acti ſit. nam ſi ita excepit, vt damni quoque infecti ſtipulationis onus ſuſtineret nihil ab emptore conſequeretur. ſi vero id actum erit. vt emptor hoc æs alienum exſolueret: ad illum onus ſtipulationis pertinebit. ſi non apparebit, quid acti ſit: veriſimile erit, id actum, vt eius quidem damni nomine, quod ante venditionem datum fuerit, onus ab emptorem, alterius temporis ad heredem pertineat.

15 ¶ Si Titius Mæui hereditatem Seio vendiderit: & à Seio heres inſtitutus eam hereditatem Attio vendiderit: an ex priore venditione hereditatis cum Attio agi poſſit? & ait Iulianus, quod venditor hereditatis petere à quolibet extraneo herede potuiſſet, id ab hereditatis emptore conſequatur. & certe ſi Seio alius heres exſtitiſſet: quidquid venditor, Mæuianæ hereditatis nomine præſtitiſſet, id ex vendito actione conſequi ab eo potuiſſet. nam & ſi duplam hominis à Seio ſtipulatus fuiſſem, & ei heres extitiſſem, eamque hereditatem Titio vendidiſſem: euicto homine, rem à Titio ſeruarem.

16 ¶ Si quid, publici vectigalis nomine præſtiterit venditor hereditatis: conſequens erit dicere, agnoſcere emptorem ei hoc debere. namque hereditaria onera etiam, hæc ſunt & ſi forte tributorum nomine aliquid dependat: idem erit dicendum.

17 ¶ Quod ſi, funere facto, heres vendidiſſet hereditatem: an impenſam funeris ab emptore conſequatur? & ait Labeo emptorem impenſam funeris præſtare debere: quia & ea inquit impenſa hereditaria eſſe, cuius ſententiam & Iauolenus putat veram, & ego arbitror.

18 ¶ Cùm quis debitori ſuo heres exſtitit, confuſione creditor eſſe deſinit. ſed ſi vendidit hereditatem: æquiſſimum videtur, emptorem hereditatis, vicem heredis optinere: & idcirco teneri venditori hereditatis: ſiue, cum moritur, teſtator debuit: quamuis poſt mortem debere deſiit, adita à venditore hereditate: ſiue quid in diem debeatur: ſiue ſub condicione, & poſtea condicio exſtitiſſet. ita tamen, ſi eius debiti aduerſus heredem actio eſſe poterat: ne forte etiam ex his cauſis, ex quibus cum herede actio non eſt, cum empto re agatur. 19 ¶ Et ſi ſeruitutes amiſit heres inſtituitus, adita hereditate: ex vendito poterit experiri aduerſus emptorem, vt ſeruitutes ei reſtituantur.



20 ¶ Sed & ſi quid vẽditor nondum præſtiterit, ſed quoquo nomine obligatus ſit propter hereditatem: nihilominùs agere poteſt cum emptore.

3. *Pomponius* libro 27. ad Sabinum.

SI venditor hereditatis exactam pecuniam, ſine dolo malo, & culpa, perdidiſſet: non placet, eum emptori teneri.

4. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

SI nomen ſit diſtractum: Celſus libro nono digeſtorum ſcribit; locupletem eſſe debitorem, non debere præſtare: debitorem autem eſſe, præſtare: niſi aliud conuenit:

5. *Paulus* libro 33. ad Edictum.

ET quidem ſine exceptione quoq́; niſi in contrarium actum ſit. ſed ſi certæ ſummæ debitor dictus ſit, in eam ſummam tenetur venditor. ſi incertæ, nihil debeat quanti interſit emptoris.

6. *Idem* libro 5. Quæſtionum.

EMptori nominis etiam pignoris perſecutio præſtari debet: eius quoque, quod poſtea venditor accepit. nam beneficiũ venditoris prodeſt emptori.

7. *Idem* libro 14. ad Plautium.

CVm hereditatem aliquis vendidit: eſſe debet hereditas, vt ſit emptio. nec enim alea emitur, vt in venatione, & ſimilibus: ſed res. quę ſi non eſt: (nõ) contrahitur emptio: & ideo pretium condicetur.

8. *Iauolenus* libro 2. ex Plautio.

QVòd ſi nulla hereditas ad venditorẽ pertinuit: quantum emptori præſtare debuit, ita diſtingui oportebit: vt ſi eſt quidem aliqua hereditas, ſed ad venditorem non pertinet; ipſa æſtimetur: ſi nulla eſt, de qua actum videatur: pretium dumtaxat, & ſi quid in eam rem impenſum eſt, emptor à venditore conſequatur.

9. *Paulus* libro 33. ad Edictum.

ET ſi quid emptoris intereſt.

10. *Iauolenus* libro 2. ex Plautio.

QVòd ſi in venditione hereditatis id actum eſt, ſi quid iuris eſſet venditoris, venire, nec poſtea quidquam præſtitu iri: quamuis ad venditorem hereditas non pertinuerit: nihil tamen eo præſtabitur: quia id actum eſſe manifeſtum eſt, vt, quemadmodum emolumentum negotiationis, ita periculum ad emptorem pertineret.

11. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

NAm hoc modo admittitur eſſe venditionem, *Si qua ſit hereditas, eſt tibi empta*, & quaſi ſpes hereditatis. ipſum enim incertum rei veneat, vt in retibus.

12. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

HOc autem ſic intellegendum eſt: niſi ſciens ad ſe non pertinere, ita vendiderit. nam tunc ex dolo tenebitur.

13. *Paulus* libro 14. ad Plautium.

QVòd ſi ſit hereditas: etſi non ita conuenit, vt, quidquid iuris haberet venditor, emptor haberet; tunc heredem ſe eſſe, præſtare debet. illo verò adiecto: liberatur venditor, ſi ad eum hereditas non pertineat.

14. *Idem* libro 33. ad Edictum.

QVi filiifamilias nomina vendidit: actiones quoque, quas cum patre habet, præſtare debet.

1 ¶ Si hereditas venierit, venditor res hereditarias tradere debet. quanta autem hereditas eſt, nihil intereſt.

15. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

NIſi de ſubſtantia eius adfirmauerit.

16. *Paulus* libro 33. ad Edictum,

SI quaſi heres vendideris hereditatem, cùm tibi ex ſenatuſconſulto Trebelliano reſtituta eſſet hereditas: quanti emptoris interſit, teneberis.

17. *Vlpianus* libro 43. ad Edictum.

NOmina eorum; qui ſub condicione, vel in diem debeant: & emere, & vendere ſolemus. ea enim res eſt, quæ emi, & veniri poteſt.

18. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

SI ex pluribus heredibus vnus, antequàm ceteri adirent hereditatem, pecuniam, quæ ſub pœnâ debebatur à teſtatore, omnem ſoluerit, & hereditatem vendiderit; nec à coheredibus ſuis propter egeſtatem eorum quidquam ſeruare poterit: cum emptore hereditatis vel ex ſtipulatu, vel ex vendito recte experietur. omnem enim pecuniam hereditario nomine datam eo manifeſtiùs eſt, quòd in iudicio familię herciſcundæ ducitur: per quod nihil ampliùs vnuſquiſque à coheredibus ſuis conſequi poteſt; quàm quod tamquam heres impenderit.

19. *Idem* libro 25. Digeſtorum.

MVltum intereſt; ſub condicione aliqua obligatio veneat; an, cùm ipſa obligatio ſub condicione ſit, purè veneat. priore caſu, deficiente condicione, nullam eſſe venditionem, poſteriore, ſtatim venditionem conſiſtere. nam ſi Titius tibi decem ſub condicione debeat, & ego abs te nomen eius emam: confeſtim ex empto vendito agere potero, vt vel acceptum ei facias.

20. *Africanus* libro 7. Quæſtionum.

SI hereditatem mihi Lucij Titij vẽdideris, ac poſt debitori eiuſdem heres exiſtas: actione ex empto teneberis.

1 ¶ Quod ſimplicius etiam in illa propoſitione procedit, cùm quis ipſe creditori ſuo heres exſtitit, & hereditatem vendidit.

21. *Paulus* libro 16. Quæſtionum.

VEnditor ex hereditate, interpoſita ſtipulatione, rem hereditariam perſecutus, alij vendidit. quæritur, quid ex ſtipulatione præſtare debeat. nam bis vtique non committitur ſtipulatio, vt rem, & pretium debeat. & quidem ſi, poſteaquam rem vendidit heres, interceſsit ſtipulatio: credimus, pretium in ſtipulationem veniſſe. quòd ſi anteceſsit ſtipulatio, deinde rem nactus eſt: tunc rem debebit. ſi ergo hominem vendiderit, & is deceſſerit: an pretium eiuſdem debeat. non enim deberet Stichi promiſſor, ſi eum vendidiſſet, mortuo eo, ſi nulla mora proceſsiſſet. ſed vbi hereditatem vendidi, & poſtea rem ex ea vendidi: poteſt videri, vt negotium eius agam, quàm hereditatis. ſed hoc in re ſingulari non poteſt credi. nam ſi eundem hominem tibi vendidero: &, necdum tradito eo, alij quoque vendidero; pretiúmque accepero: mortuo eo, videamus, ne nihil tibi debeam ex empto, (quoniam moram in tradendo non feci. pretium enim hominis venditi non ex re, ſed propter negotiationem percipitur) & ſic ſit, quaſi alij non vendidiſſem. tibi enim rem debebam, non actionem. at cùm hereditas venit, tacitè hoc agi videtur, vt ſi quid tamquam heres feci, id præſtem emptori: quaſi illius negotium agam. quemadmodum fundi venditor fructus præſtet bonæ fidei ratione. quamuis, ſi neglexiſſet vt alienum, nihil ei imputare poſsit: niſi ſi culpa eius argueretur. Quid, ſi rem, quam vendidi, alio poſsidente perij, & litis æſtimationem accepi? vtrùm pretium illi debeo, an rem? vtique rem. non enim actiones ei, ſed rem præſtare debeo & ſi vi deiectus, vel propter furti actionem duplum abſtulero: nihil hoc

ad emptorem pertinebit. nam ſi ſine culpa deſiit detinere venditor: actiones ſuas præſtare debebit, non rem: & ſic æſtimationem quoque. nam & aream tradere debet, exuſto ædificio.

22. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

HEreditatis venditæ pretium pro parte accepit. reliquum emptore non ſoluente, quæſitum eſt, an corpora hereditaria pignoris nomine teneantur. reſpondi, nihil proponi, cur non teneantur.

23. *Hermogenianus* libro 2. iuris Epitomarum.

VEnditor actionis, quam aduerſus principalem reum habet, omne ius, quod ex ea cauſa ei competit, tam aduerſus ipſum reum, quàm aduerſus interceſſores huius debiti cedere debet: niſi aliud actum eſt.

1 ¶ Nominis venditor, quidquid vel compenſatione, vel ex actione fuerit conſecutus, integrum emptori reſtituere compellatur.

24. *Labeo* libro quarto Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

HEreditatem Cornelij vendidiſti. deinde Attius, cui à te herede Cornelius legauerat, priùs, quã legatum ab emptore perciperet, te fecit heredem. recte puto ex vẽdito te acturum, vt tibi præſtetur: quia ideo eò minùs hereditas venierit, vt id legatum præſtaret emptor: nec quicquam interſit, vtrum Attio, qui te heredem fecerit, pecunia debita ſit, an legatario.

25. *Idem* libro 2. Pithanon.

SI, excepto fundo hereditario, veniit hereditas, deinde eius fundi nomine vẽditor aliquid adquiſit: debet id præſtare emptori hereditatis. Paulus: Immo ſemper quæritur, in ea re quid actum fuerit. ſi autem id non apparuit: præſtare eam rem debebit emptori venditor. nam id ipſum ex ea hereditate ad eum perueniſſe videbitur: non ſecus, ac ſi eum fundum in hereditate vendenda non excepiſſet.

## DE RESCINDENDA VENDITIONE, & quando licet ab emptione diſcedere,

## TIT. V.

*Pomponius* libro 15. ad Sabinum.

CElſus filius putabat: ſi vendidiſſet mihi filiusfamilias rem peculiarem: etiamſi conueniat, vt abeatur ab ea venditione; inter patrem, & filium, & me conuenire debere: ne, ſi cum patre ſolo pactus ſim, filius non poſsit liberari: & quæratur, vtrúmne nihil agatur ex ea pactione; an verò ego quidem liberer, filius maneat obligatus. ſicuti ſi pupillus ſine tutoris auctoritate paciſcatur: ipſe quidem liberatur, non etiam qui cum eo pactus eſt. nam quod Ariſto dixit, poſſe ita paciſci, vt vnus maneat obligatus: non eſt verum: quia pro vna parte contrahentiũ abiri pacto ab emptione non poſsit, & ideo ſi ab vna parte renouatus ſit contractus: dicitur, non valere eiuſmodi pactionem, ſed dicẽdum eſt, patre paciſcente, & liberato aduerſario, filium quoque obiter liberari.

2. *Idem* libro 24. ad Edictum.

SI, quam rem à te emi; eandem rurſus à te pluris, minoríſve emero: diſceſsimus à priore emptione. poteſt enim, dum res integra eſt, conuentione noſtra, infecta fieri emptio: atque ita conſiſtit poſterior emptio, quaſi nulla præceſſerit. ſed non poterimus eadem ratione vti poſt pretium ſolutum. emptione repetita: cùm poſt pretium ſolutum infectam emptionem facere non poſſumus.

3. *Paulus* libro 33. ad Edictum.

EMptio & venditio, ſicut conſenſu contrahitur, ita contrario conſenſu reſoluitur, antequàm fuerit res ſecuta. ideóque quæſitum eſt; ſi emptor fideiuſſorem acceperit, vel venditor ſtipulatus fuerit: an nuda voluntate reſoluatur obligatio. Iulianus ſcripſit, ex empto quidem agi non poſſe: quia bonæ fidei iudicio exceptiones pacti inſunt. an autem fideiuſſori vtilis ſit exceptio, videndum. & puto, liberato reo & fideiuſſorem liberari. item venditorem ex ſtipulatu agentem, exceptione ſummoueri oportet. idémque iuris eſſe, ſi emptor quoque rem in ſtipulationem deduxerit.

4. Libro 8. Digeſtorum Iuliani Paulus notat.

SI emptio contracta ſit, togæ, (puta) aut lancis; & pactus ſit vẽditor, ne alterutrius emptio maneat: puto reſolui obligationem huius rei nomine dumtaxat.

5 *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

CVm emptor venditori, vel emptori venditor acceptum faciat: voluntas vtriuſque oſtenditur id agentis, vt à negotio diſcedatur: & perinde habeatur, ac ſi conueniſſet inter eos, vt neuter ab altero quicquam peteret. ſed vt euidentius appareat: acceptilatio in hac cauſa non ſua natura, ſed poteſtate conuentionis valet.

1 ¶ Emptio nuda conuentione diſſoluitur, ſi res ſecuta non fuerit.

2 ¶ Mortuo autem homine, perinde habenda eſt venditio ac ſi traditus fuiſſet. vtpote cùm venditor liberetur, & emptori homo pereat. quare, niſi iuſta conuentio interuenerit, actiones ex empto & vendito manebunt.

6. *Paulus* libro 2. ad Edictum.

SI conuenit, vt res, quæ venit, ſi intra certum tempus diſplicuiſſet, redderetur; ex empto actio eſt, vt Sabinus putat: aut proxima empti in factum datur.

7. *Idem* libro 5. Quæſtionum.

SI id, quòd purè emi, ſub condicione rurſus emã, nihil agitur poſteriore emptione.

1 ¶ Si pupilli perſona interuenit, qui antè ſine tutoris auctoritate, deinde tutore auctore emit: quamuis venditor iam ei obligatus fuit: tamen, quia pupillus non tenebatur, renouata venditio efficit, vt inuicem obligati ſint. Quòd ſi antè tutoris auctoritas interuenerit, deinde ſine tutore auctore emit: nihil actum eſt poſteriore emptione. IDem poteſt quæri, ſi ſine tutoris auctoritate pactus fuerit, vt diſcedatur ab emptione: an proinde ſit, atque ſi ab initio ſine tutoris auctoritate emiſſet: vt ſcilicet ipſe non teneatur: ſed, agente eo, retentiones competãnt. ſed nec illud ſine ratione dicetur, quoniam initio rectè emptio ſit contracta, vix bonæ fidei conuenire, eo pacto ſtari, quod alteri captioſum ſit: & maximè ſi iuſto errore ſit deceptus.

8. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

TItius Seij procurator, defuncto Seio, ab eo ſcriptus heres, cùm ignoraret, fundum vendente ſeruo hereditario, quaſi procurator ſubſcripſit. quæſitum eſt, an cognito eo, prius quàm emptio perficeretur, à venditione diſcedere poſsit. reſpondit: Titium, ſi non ipſe vendidit, non idcirco actionibus ciuilibus teneri, quòd ſeruo vendente ſubſcripſerat; ſed ſerui nomine prætoria actione teneri.

9. *Idem* libro 4. Digeſtorum.

FVndus, qui Lucij Titij erat, ob vectigale reipublicæ veniit. ſed cùm Lucius Titius debitor profeſſus eſſet, paratum ſe eſſe vectigal exſoluere ſolidum, cùm minoris veniſſet fundus, quàm debita ſumma eſſet, præſes prouinciæ reſcindit venditionem, eúmq. reſtitui iuſsit Lucio Titio. quæſitum eſt, an poſt ſententiam præſidis, antequàm reſtitueretur, in bonis Lucij Titij fundus emptus eſſet. reſpõdit: nõ priùs, quàm emptori pretium eſſet illatum: vel, ſi pretium nondum eſſet ab emptore ſolutum, ſi in vectigal ſatisfactum eſſet.

10. *Idem* libro 7. Digeſtorum.

SEius à Lucio Titio emit fundum lege dicta, vt, ſi ad diem pecuniam non ſoluiſſet, res inempta fieret.



Seius, parte pretij præſenti die ſoluta, defuncto venditore, filiis eius pupillaris ætatis & ipſe tutor cum aliis datus, neque contutoribus pretium ſecundum legem numerauit, nec rationibus tutelæ retulit. quæſitum eſt, an irrita emptio facta eſſet. reſpondit, ſecundum ea, quæ proponerentur, inemptum videri.

1 ¶ Emptor prædiorum, cùm ſuſpicaretur, Numeriam, & Semproniam, controuerſiam moturas; pactus eſt cum venditore, vt ex pretio aliqua ſumma apud ſe maneret, donec emptori fideiuſſor daretur à venditore. poſtea venditor eam legem inſeruit: vt, ſi ex die pecunia omnis ſoluta non eſſet, & venditor ea prædia veniſſe nollet, inuendita eſſent, interea de aduerſariis alteram mulierem venditor ſuperauit: cum altera tranſegit: ita vt ſine vlla quæſtione emptor prædia poſsideret. quæſitum eſt; cùm neque fideiuſſor datus eſt, nec omnis pecunia ſecundùm legem ſuis diebus ſoluta ſit, an prædia inuendita ſint. reſpondit: ſi conueniſſet, vt non priùs pecunia ſolueretur, quàm fideiuſſor venditi cauſa daretur; nec id factum eſſet, cum per emptorem non ſtaret, quo minus fieret: non poſſe poſteriorem legis partem exerceri.

## DE PERICVLO, ET COMMODO re. venditæ,

## TIT. VI.

1. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SI vinum venditum acuerit, vel quid aliud vitij ſuſtinuerit: emptoris erit damnum: quemadmodum ſi vinum eſſet effuſum, vel vaſis contuſis, vel qua alia ex cauſa. Sed ſi venditor ſe periculo ſubiecit: in id tempus periculum ſuſtinebit, quoad ſe ſubiecit. quòd ſi non deſignauit tempus; eatenus periculum ſuſtinere debet, quoad deguſtetur vinum. videlicet quaſi tunc pleniſsime veneat, cùm fuerit deguſtatum. Aut igitur conuenit, quoad periculum vini ſuſtineat, & eatenus ſuſtinebit: aut non conuenit, & vſque ad deguſtationem ſuſtinebit. ſed ſi nondum ſunt deguſtata, ſignata tamen ab emptore vaſa, vel dolia: conſequenter dicemus, adhuc periculum eſſe venditoris: niſi ſi aliud conuenit.

1 ¶ Sed & cuſtodiam ad diem menſuræ venditor præſtare debet. priùs quàm enim admetiatur vinũ, propè quaſi nondum venit. poſt menſuram factam, venditoris deſinit eſſe periculum. & ante menſuram periculo liberatur: ſi non ad menſuram vendidit; ſed fortè amphoras, vel etiam ſingula dolia.

2 ¶ Si dolium ſignatum ſit ab emptore: Trebatius ait, traditum id videri. Labeo contrà. quod & verum eſt. magis enim, ne ſummutetur, ſignari ſolere, quàm vt tradere tum videatur.

3 ¶ Licèt autem venditori vel effundere vinum, ſi diem ad metiendum præſtituit, nec intra diem ad metiendum præſtituit, nec intra diem admẽſum eſt. effundere autem non ſtatim poterit, priùs quàm teſtando denunciet emptori: vt aut tollat vinum, aut ſciat futurum, vt vinum effunderetur. ſi tamen, cùm poſſet effundere, non effundit, laudandus eſt potiùs. ea propter mercedem quoque doliorum poteſt exigere. ſed ita demum, ſi interfuit eius inania eſſe vaſa, in quibus vinum fuit. veluti ſi locaturus ea fuiſſet, vel ſi neceſſe habuit alia conducere dolia. commodius eſt autem, conduci vaſa; nec reddi vinum, niſi, quanti conduxerit, ab emptore reddatur: aut vẽdere vinum bona fide; id eſt, quantum ſine ipſius incommodo fieri poteſt, operam dare, vt quã minimè detrimento ſit ea res emptori.

4 ¶ Si doliare vinum èmeris, nec de tradendo eo quicquam conuenerit: id videri actum, vt euacuarẽtur, quàm ad vindemiam opera eorum futura ſit neceſſaria. quòd ſi non ſint euacuata: faciendum, quod veteres putauerunt per corbem venditorem menſuram facere, & effundere. veteres enim hoc propter menſuram ſuaſerunt; ſi, quanta menſura eſſet, non appareat: videlicet vt appareret, quantum emptori perierit.

2. *Gaius* libro 2. Cottidianarum rerum.

HOc ita verum eſt, ſi is eſt venditor, cui ſine noua vindemia non ſint iſta vaſa neceſſaria. ſi verò mercator eſt, qui emere vina, & vendere ſolet: is dies ſpectandus eſt, quo ex commodo venditoris tolli poſsint.

1 ¶ Cuſtodiam autem, ante admetiendi diem, qualem præſtare venditorem oporteat; vtrùm plenam, vt & diligentiam præſtet, an vero dolum dumtaxat; videamus, & puto, eam diligentiam venditorem exhibere: vt fatale damnum, vel vis magna, ſit excuſatum.

3. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

CVſtodiam autem venditor talem præſtare debet, quam præſtant hi, quibus res commodata eſt: vt diligentiam præſtet exactiorem, quàm in ſuis rebus adhiberet.

4. *Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SI quis vina vendiderit, & intra diem certum deguſtanda dixerit: deinde per venditorem ſteterit, quo minùs deguſtarentur: vtrùm præteritum dumtaxat periculum acoris, & mucoris venditor præſtare debet: an verò etiam die præterito: vt, ſi fortè corrupta ſint, poſtea quàm dies deguſtandi præteriit, periculum ad venditorem pertineat? an verò magis emptio ſit ſoluta, quaſi ſub condicione venierint, hoc eſt, ſi ante diem illum fuiſſent deguſtata? & intererit quid actum, ſit. ego autem arbitror, ſi hoc in occulto ſit, debere dici, emptionem manere. periculum autem ad venditorem reſpicere, etiam vltra diem deguſtando præfinitum: quia per ipſum factum eſt.

1 ¶ Si auerſione vinum venit, cuſtodia tantùm præſtanda eſt. ex hoc apparet; ſi non ita vinum venit, vt deguſtaretur; neque acorem, neque mucorem vẽditorem præſtare debere. ſed omne periculum ad emptorem pertinere. difficile autem eſt vt quiſquã ſic emat, vt ne deguſtet. quare ſi dies deguſtationi adiectus non erit, quandoque deguſtare emptor poterit: &, quoad deguſtauerit, periculum acoris, & mucoris ad venditorem pertinebit. dies enim deguſtationi præſtitus, meliorem conditionem emptoris facit. 2 ¶ Vino autem per auerſionem vendito, finis cuſtodiæ eſt auehendi tempus. quod ita erit accipiendum, ſi adiectum tempus eſt. ceterùm, ſi non ſit adiectum, videndum, ne infinitam cuſtodiam non debeat venditor. & eſt verius; (ſecundùm ea quæ ſuprà oſtendimus) aut intereſſe, quid de tempore actum ſit, aut denunciare ei, vt tollat, vinum. certè antequàm ad vindemiam fuerint dolia neceſſaria, debet auehi vinum.

5. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SI per emptorem ſteterit, quo minùs ad diem vinum tolleret: poſtea, niſi quod dolo malo venditoris interceptum eſſet, non debet ab eo præſtari. ſi verbi gratia amphoræ centum ex eo vino, quod in cella eſſet, venierint, ſi admenſum eſt: donec admetiatur, omne periculum venditoris eſt: niſi id per emptorem fiat.

6. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

SI vina emerim, exceptis acidis, & mucidis: & mihi expediat acida quoque accipere: Proculus ait; quamuis id emptoris cauſa exceptum ſit; tamen acida, & mucida non veniſſe. nam quæ inuitus emptor accipere non cogeretur, iniquum eſſe, non permitti, venditori vel alij ea vendere.

7. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

ID; quod poſt emptionem fundo acceſsit per alluuionem, vel perit; ad emptoris commodum, incommodúmque pertinet. nam & ſi totus ager poſt emptionem flumine occupatus eſſet,

periculum eſſet emptoris. ſic igitur & commodum eius eſſe debet.

1 ¶ Quod venditur, in modum agri cedere debet: niſi ſi id actum eſt, ne cederet, at quod non venit, in modum cedendum, ſi id ipſum actum eſt, vt cederet: veluti viæ publicæ, limites, luci, qui fundum tãgunt. cum verò neutrum dictum eſt, cedere non debet. & ideo nominatim caueri ſolet, vt luci, viæ publicæ, quæ in fundo ſint, totæ in modum cedant.

8. *Idem* libro 33. ad Edictum.

NEceſſariò ſciendum eſt, quando perfecta ſit emptio. tunc enim ſciemus, cuius periculum ſit. nam, perfecta emptione, periculum ad emptorem reſpiciet. Et ſi id, quod venierit, appareat, quid, quale, quantum ſit, ſit & pretium, & purè venit: perfecta eſt emptio. quòd ſi ſub condicione res venierit, ſi quidem defecerit condicio, nulla eſt emptio: ſicuti nec ſtipulatio. quòd ſi exſtiterit: Proculus & Octauenus, emptoris eſſe periculum aiunt. idem Pomponius libro nono probat, quòd ſi, pendente condicione, emptor, vel venditor deceſſerit: conſtat, ſi exſtiterit conditio, heredes quoque obligatos eſſe, quaſi iam contracta emptione in præteritum. quòd ſi, pendente condicione, res tradita ſit: emptor non poterit eam vſucapere pro emptore: & quod pretij ſolutũ eſt, repetetur: & fructus medij temporis venditoris ſunt. ſicuti ſtipulationes, & legata condicionalia peremuntur, ſi, pendente condicione, res exſtincta fuerit. ſanè ſi exſtet res, licèt deterior effecta: poteſt dici, eſſe damnum emptoris.

2 ¶ Si ita venierit, *Eſt ille ſeruus emptus, ſiue nauis ex Aſia venerit, ſiue non venerit*: Iulianus putat, ſtatim perfectam eſſe venditionem: quoniam certum ſit, eam contractam.

2 ¶ Cùm vſumfructum mihi vendis, intereſt, vtrùm ius vtendi fruendi, quòd ſolum tuum ſit, vendas: an verò in ipſum corpus, quod tuum ſit, vſumfructum mihi vendas. nam priore caſu, etiam ſi ſtatim morieris: nihil mihi heres tuus debebit: heredi autem meo debebitur, ſi tu viuis. posteriore caſu heredi meo nihil debebitur, heres tuus debebit.

9. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

SI poſt inſpectum prædium, antequàm emptio contraheretur, arbores vento ſi deiectæ ſunt: an hæ quoque emptori tradi debeant, quæritur. & reſponſum eſt, non deberi: quia eas non emerit, cùm, antequàm fundũ emerit, deſierint fundi eſſe. ſed ſi ignorauit emptor deiectas eſſe arbores, venditor autem ſcit, nec admonuit: quanti emptoris interfuerit, rem æſtimandam eſſe, ſi modò venit.

10. *Vlpianus* libro 2. Diſputationum.

SI in venditione condicionali hoc ipſum conueniſſet, vt res periculo emptoris ſeruaretur: puto, pactum valere.

1 ¶ In libro ſeptimo digeſtorum Iuliani Scæuola notat: Fundi nomine emptor agere non poteſt: cùm priùs, quàm menſura fieret, inundatione aquarum, aut chaſmate, alióve quo caſu pars fundi interierit.

11. *Alfenus* Varus libro 2. Digeſtorum.

SI vendita inſula, combuſta eſſet, cùm incendium ſine culpa fieri non poſſit, quid iuris ſit? reſpondit: Quia ſine patris familiæ culpa fieri poteſt: neque ſi ſeruorũ neglegentia factum eſſet, continuò dominus in culpa erit. quamobrem ſi venditor eam diligentiam adhibuiſſet in inſula cuſtodienda, quam debent homines frugi & diligentes præſtare: ſi quid accidiſſet, nihil ad eum pertinebit.

12. *Paulus* libro 3. Alfeni Epitomarum Digeſtorum.

LEctos emptos ædilis, cùm in via publica poſiti eſſent, concidit, ſi traditi eſſent emptori, aut per eum ſtetiſſet, quo minùs traderentur, emptoris periculum eſſe placet.

13. *Iulianus* libro 3. ad Vrſeium Ferocem.

EVmque cum ædili, ſi id non iure feciſſet, habiturum actionem legis Aquiliæ: aut certè cum venditore ex empto agendum eſſe, vt is actiones ſuas quas cum ædile habuiſſet, ei præſtaret.

14. *Paulus* libro 3. Epitomatorum Alfeni Digeſtorum.

QVòd ſi neque traditi eſſent: neque emptor in mora fuiſſet, quo minùs traderentur: venditoris periculum erit.

1 ¶ Materia empta ſi furto periſſet, poſtquàm tradita eſſet: emptoris eſſe periculo reſpondit. ſi minùs, venditoris. videri autem trabes traditas, quas emptor ſignaſſet.

15. *Gaius* libro 2. Cottidianarum rerum.

SI vina, quæ in doliis erunt, venierint; eáque, antequàm ab emptore tollerentur, ſua natura corrupta fuerint: ſi quidem de bonitate eorum adfirmauit venditor, tenebitur emptori: quod ſi nihil adfirmauit, emptoris erit periculum. quia ſiue non deguſtauit, ſiue deguſtando malè probauit, de ſe queri debet. planè ſi, cùm intellegeret venditor non duraturam bonitatem eorum vſque ad in eum diem, quo tolli deberent, non admonuit emptorem: tenebitur ei, quanti eius intereſſet, admonitum fuiſſe.

16. *Iauolenus* libro 7. ex Caſsio.

SEruí emptor, ſi eum conductum rogauit, donec pretium ſolueret, nihil per eum ſeruum adquirere poterit. quoniam non videtur traditus is, cuius poſſeſsio per locationem retinetur à venditore. Periculum eius ſerui ad emptorem pertinet: quod tamen ſine dolo venditoris interuenerit.

17. *Pomponius* libro 31. ad Quintum Mucium.

ILlud ſciendum eſt, cùm moram emptor adhibere cœpit, iam non culpam, ſed dolum malum tantùm præſtandum à venditore. quod ſi per venditorem, & emptorem mora fuerit: Labeo quidem ſcribit, emptori potiùs nocere, quàm venditori, moram adhibitam. ſed videndum eſt, ne poſterior mora damnoſa ei ſit. quid enim ſi interpellauero venditorem & non dederit id, quod emeram: deinde, poſteriore offerente illo, ego non acceperim? ſanè hoc caſu nocere mihi deberet. ſed ſi per emptorem mora fuiſſet: deinde, cùm omnia in integro eſſent, venditor moram adhibuerit, cùm poſſet ſe exſoluere: æquum eſt, poſteriorem moram venditori nocere.

18. *Papinianus* libro 3. Reſponſorum.

HAbitationum oneribus morte libertorum finitis, emptor domus ob eam cauſam venditori non tenebitur, ſi nihil aliud conuenit, quàm vt habitationes ſecundùm defuncti voluntatem ſuper pretium libertis præſtarentur.

1 ¶ Antè pretium ſolutum dominij quæſtione mota, pretium emptor ſoluere non cogetur: niſi fideiuſſores idonei, à venditore, eius euictionis offerantur.

19. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

VEnditor, ſi emptor in pretio ſoluendo moram fecerit, vſuras dumtaxat præſtabit: non omne omnino, quod venditor, mora non facta, conſequi potuit: veluti ſi negotiator fuit, &, pretio ſoluto, ex mercibus plus, quàm ex vſuris, quærere potuit.

## DE SERVIS EXPORTANDIS: VEL ſi ita mancipium venierit, vt manumittatur, vel contrà:

## TIT. VII.

1. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

SI fuerit diſtractus ſeruus, ne aliquo loci moretur: qui vendidit, in ea condicione eſt, vt poſſit legem remittere, ipſe Romæ retinere. quod & Papinianus libro tertio reſpondit. propter domini enim (inquit) ſecuritatem cuſtoditur lex, ne periculum ſubeat





2. *Marcianus* libro 2. Publicorum.

EXportandus ſi venierit ab Italia, in prouincia morari poteſt: niſi ſpecialiter prohibitum fuerit.

3. *Paulus* libro 50. ad Edictum.

SI quis hac lege venit, vt intra certũ tempus manumittatur, ſi nõ ſit manumiſſus, liber fit. ſi tamen is, qui vendidit, in eadem voluntate perſeueret: heredis voluntatem non eſſe exquirendam.

4. *Marcellus* libro 24. Digeſtorum.

SI minor viginti annis ſeruum tibi in hoc vendiderit, & tradiderit, vt eum manumitteres: nullius momenti eſt traditio: quamquam ea mente tradiderit, vt cùm viginti annos ipſe expleſſet, manumitteres. non enim multum facit, quod diſtulit libertatis præſtationem. lex quippe conſilio eius, quaſi parum firmo, reſtitit.

5. *Papinianus* libro 10. Quæſtionum.

CVi, pacto venditoris, pomerio cuiuslibet ciuitatis interdictum eſt: vrbe etiam interdictum eſſe videtur. quod quidem alias cùm principum mandatis præciperetur, etiam naturalem habet intellectum: ne ſcilicet, qui careret, minoribus, fruatur maioribus.

6. *Idem* libro 27. Quæſtionum.

SI venditor ab emptore cauerit, ne ſerua manumitteretur, néve proſtituatur; & aliquo facto cõtrà, quàm fuerat exceptum, euincatur, aut libera iudicetur, & ex ſtipulatu pœna petatur: doli exceptionem quidam obſtaturam putant. Sabinus, non obſtaturam. ſed ratio faciet, vt iure non teneat ſtipulatio, ſi, ne manumitteretur, exceptum eſt. nam incredibile eſt, de actu manumittentis, ac non potiùs de effectu Veneficij, cogitatum. cæterùm ſi, ne proſtituatur, exceptum eſt: nulla ratio occurrit, cur pœna peti, & exigi non debeat: cùm & ancillam contumelia adfecerit, & venditoris affectionem fortè ſimul & verecundiã læſerit. etenim aliàs, remota quoq; ſtipulatione, placuit ex vendito eſſe actionem.

1 ¶ Si quid emptor contrà, quàm lege venditionis cautum eſt, feciſſet, aut non feciſſet: nobis aliquando placebat, non aliàs ex vendito propter pœnam homini irrogatam agi poſſe, quàm ſi pecuniæ ratione venditoris intereſſet, veluti quia pœnam promiſiſſet: cæterùm viro bono non conuenire credere, venditoris intereſſe, quòd animo ſæuientis ſatisfactum non fuiſſet. ſed in contrarium me vocat Sabini ſententia: qui vtiliter agi ideo arbitratus eſt, quoniam hoc minoris homo veniſſe videatur.

7. *Idem* libro 20. Quæſtionum.

SEruus ea lege veniit, ne in Italia eſſet. quod ſi aliter factum eſſet: conuenit citra ſtipulationem, vt pœnam præſtaret emptor. vix eſt, vt eo nomine vindictæ ratione venditor agere poſſit: acturus vtiliter; ſi, non ſeruata lege, in pœnam, quam alij promiſit, inciderit. Huic conſequens erit, vt hactenus agere poſſit, quatenus alij præſtare cogitur. quidquid enim excedit: pœna, non rei perſecutio eſt. Quòd ſi, ne pœnæ cauſa exportaretur, conuenit: etiam affectionis ratione rectè agetur. Nec videntur hæc inter ſe contraria eſſe cùm beneficio adfici hominem interſit hominis. enimuerò pœnæ non inrogatæ indignatio ſolam duritiam continet.

8. *Idem* libro 27. Quæſtionum.

QVæſitum eſt: ſi quis proprium ſeruum vendidiſſet; &, vt manumitteretur, intra certum tempus, præcepiſſet; ac poſteà mutaſſet voluntatem; & emptor nihilominùs manumiſiſſet: an aliquam eo nomine actionem haberet. dixi, ex vendito actionem, manumiſſo ſeruo, vel mutata venditoris voluntate, euanuiſſe.

9. *Paulus* libro 5. Quæſtionum.

TItius ſeruum vendidit ea lege, vt, ſi Romæ moratus eſſet, manus inicere liceret. emptor alij eadem lege vendidit. ſeruus fugit à ſecundo emptore & Romæ moratur. quæro, an ſit manus iniectio, & cui. reſpondi, In fugitiuo non eſt dubitandum, nihil contra legem factum videri: quia nec domino auferre ſe poteſt; nec, qui in fuga eſt, ibi moratur. quòd ſi, ex voluntate ſecundi emptoris, contra legem moratus ſit: potior habendus eſt, qui auctor fuit legis. & poſterior, magis admonendi emptoris, & liberandi ſe; eandem legem repetierit. nec poterit aliquo modo auferre legem ſui venditoris, cuius conditio exſtitit. nam & ſi pœnam promiſiſſet, tenetur: licèt ipſe quoq; ſtipulatus eſſet. ſed in pœna promiſſa duæ actiones ſunt. manus autem iniectio in ſeruum competit. Quòd ſi prior ita vendidit, vt proſtituta libera eſſet; poſterior, vt manus inicere liceret; potior eſt libertas, quàm manus iniectio. Planè ſi prior lex manus habeat iniectionem, poſterior libertatem ſa BoraVilius dicetur, liberam fore: quoniam vtraque conditio pro mancipio additur. & ſicut manus iniectio, ita libertas eximit eam iniuriam.

10. *Scæuola* libro 7. Digeſtorum.

CVm venderet Pamphilam & Stichum: venditioni inſeruit pactum conuentum; vti ne eadem mancipia, Pamphila & Stichus, quos minorato pretio vendidit, alterius ſeruitutem, quàm Seij, paterentur; poſt mortemq; eius in libertate morarentur. quæſitum eſt, an hæc mancipia, de quibus inter emptorem & venditorem conuenit, poſt mortem emptoris iure ipſo liberata ſint. reſpondit, ſecundùm conſtitutionem Diui Adriani ſuper hoc prolatam, Pamphilam & Stichum, de quibus quæreretur, ſi manumiſsi non ſint, liberos non eſſe. Claudius Diuus Marcus ex lege dicta libertatis in vendendo quamuis non manumiſſos, fore liberos in ſemenſtribus conſtituit: licet in mortis tempus emptoris diſtulit venditor libertatem.

# LIBER NONVSDECIMVS.

## DE ACTIONIBVS EMPTI, & VENDITI.

*Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SI res vendita non tradatur: in id, quod intereſt, agitur. hoc eſt, quod rem habere intereſt emptoris. hoc autem interdum pretium egreditur: ſi pluris intereſt, quàm res valet, vel empta eſt.

1 ¶ Venditor, ſi, cùm ſciret deberi ſeruitutem celauit; non euadet ex empto actionem: ſi modò eam rem emptor ignorauit. omnia enim, quæ contra bonam fidem fiunt, veniunt in empti actionem. ſed ſcire venditorem, & celare, ſic accipimus: non ſolùm ſi non admonuit, ſed & ſi negauit ſeruitutẽ iſtam deberi, cùm eſſet ab eo quæſitum. ſed & ſi proponas eum ita dixiſſe: *Nulla quidem ſeruitus debetur; verùm ne emergat inopinata ſeruitus, non teneor*: puto eum ex empto teneri: quia ſeruitus debebatur, & ſciſſet. ſed ſi id egit, ne cognoſceret emptor aliquam ſeruitutem deberi: opinor, eum ex empto teneri. & generaliter dixerim, ſi improbato more verſatus ſit in celanda ſeruitute, debere eum teneri: non ſi ſecuritati ſuæ proſpectum voluit. hæc ita vera ſunt, ſi emptor ignorauit ſeruitutes: quia non videtur eſſe celatus, qui ſcit: neque certiorari debuit, qui non ignorauit.

2. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SI in emptione modus dictus eſt, & non præſtatur; ex empto eſt actio. 1 ¶ Vacua poſſeſsio

emptori tradita non intellegitur, ſi alius in ea legatorum fideive commiſſorum ſeruandorum cauſa in poſſeſſionem eſt, aut creditores bona poſſideant. idem dicendum eſt, ſi venter in poſſeſſione ſit. nam & ad hoc pertinet vacui appellatio.

3. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

Ratio poſſeſſionis, quæ à venditore fieri debeat, talis eſt; vt, ſi quis eam poſſeſſionem iure auocauerit, tradita poſſeſſio non intellegatur.

1 ¶ Si emptor vacuam poſſeſſionem tradi ſtipulatus ſit, & ex ſtipulatu agat: fructus non venient in eam actionem, quia & qui fundum dari ſtipularetur, vacuam quoque poſſeſſionem tradi oportere ſtipulari intellegitur: nec tamen fructuum præſtatio ea ſtipulatione continetur. neque rurſus plus debet eſſe in ſtipulatione: ſed ex empto ſuperesse ad fructuum præſtationem. 2 ¶ Si iter, actum, viam, aquæductum per tuum fundum emero: vacuæ poſſeſſionis traditio nulla eſt. itaque cauere debes, per te non fieri, quo minùs vtar. 3 ¶ Si per venditorem vini mora fuerit, quo minùs traderet: condemnari eum oportet, vtro tempore pluris vinum fuit, vel quo venit, vel quo lis in condemnationem deducitur: item quo loco pluris fuit, vel quo venit, vel vbi agatur. quod ſi per emptorem mora fuiſſet: æſtimari oportet pretium, quod ſit, cum agatur; & quo loco minoris ſit. mora autem videtur eſſe, ſi nulla difficultas venditorem impediat, quo minùs traderet: præſertim ſi omni tempore paratus fuit tradere. item non oportet eius loci pretia ſpectari, in quo agatur; ſed eius, vbi vina tradi oportet. nam quòd à Brundeſio vinum venit, etſi venditio alibi facta ſit, Brundeſi tradi oportet.

4. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

Si ſeruum mihi ignoranti, ſciens furem, vel noxium eſſe, vendideris: quamuis duplam promiſeris, teneris mihi ex empto, quanti mea intererit ſciſſe: quia ex ſtipulatu eo nomine agere tecum non poſſum, antequàm mihi quid abeſſet. 1 ¶ Si modus agri minor inueniatur; pro numero iugerum auctor obligatus eſt: quia vbi modus minor inuenitur, non poteſt æſtimari bonitas loci, qui non exſtat. ſed non ſolùm ſi modus agri totius minor eſt, agi cum venditore poteſt: ſed etiam de partibus eius vtputa ſi dictum eſt, vineæ iugera tot eſſe, vel oliueti; & minus inueniatur. ideoque his caſibus pro bonitate loci fiet æſtimatio.

5. *Idem* libro 3. ad Sabinum.

Si hæres teſtamento quid vendere damnatus ſit, & vendiderit: de reliquis, quæ per conſequentias emptionis propria ſunt, vel ex empto, vel ex teſtamento agi cum eo poterit. 1 ¶ Sed ſi falsò exiſtimans ſe damnatum vendere, vendiderit, dicendum eſt, agi cum eo ex empto non poſſe: quoniam doli mali exceptione actor ſummoueri poteſt. quemadmodum ſi falsò exiſtimans ſe damnatum dare; promittenti agentem doli mali exceptione, ſummoueret. Pomponius etiam incerti condicere eum poſſe ait, vt liberetur.

6. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

Tenetur ex empto venditor, etiam ſi (agnouerit) minorem fundi modum eſſe. 1 ¶ Si vendidi tibi inſulam certa pecunia, & vt aliam inſulam meam reficeres: agam ex vendito: vt reficias. ſi autẽ hoc ſolùm, vt reficeres eam, conueniſſet: non intellegitur emptio & venditio facta, vt & Neratius ſcripſit. 2 ¶ Sed ſi aream tibi vendidi certo pretio, & tradidi: ita vt; inſula ædificata, partem dimidiam mihi retradas, verum eſt, & vt ædifices, agere me poſſe ex vendito, & vt ædificatam mihi retradas. quamdiu enim aliquid ex re vendita apud te ſupereſſet, ex vẽdito me habere actionem conſtat. 3 ¶ Si locum ſepulchri emeris; & propiùs eum locum, antequàm mortuus ibi inferatur, ædificatum a venditore fuerit: poteris ad eum reuerti. 4 ¶ Si vas aliquod mihi vendideris, & dixeris certam menſuram capere, vel certum pondus habere: ex empto tecum agam, ſi minùs præſtes. ſed ſi vas mihi vendideris, ita vt adfirmares integrum: ſi id integrum non ſit; etiam id, quod eo nomine perdiderim, præſtabis mihi: ſi verò non id actum ſit, vt integrum præſtes; dolum malum dumtaxat præſtare te debere. Labeo contrà putat: & illud ſolum obſeruandum, vt, niſi in contrarium id actum ſit, omnimodo integrum præſtari debeat. & eſt verum. Quod & in locatis dolus præſtandum, Sabinum reſpondiſſe, Minicius refert. 5 ¶ Si tibi iter vendidero: ita demum auctorem me laudare poteris, ſi tuus fuerit fundus, cui adquirere ſeruitutem volueris. iniquum eſt enim me teneri, ſi propter hoc adquirere ſeruitutem non potueris, quia dominus vicini fundi non fueris. 6 ¶ Sed ſi fundum tibi vendidero, & ei fundo iter acceſſurum dixero: omnimodo tenebor itineris nomine: quia vtriuſque rei quaſi vnus venditor obligatus ſum. 7 ¶ Si filiusfamilias rem vendiderit mihi, & tradiderit: ſicut pater familias tenebitur. 8 ¶ Si dolo malo aliquid fecit venditor in re vendita: ex empto, eo nomine, actio emptori competit. nam & dolum malum eo iudicio æſtimari oportet: vt id, quod præſtaturum ſe eſſe pollicitus ſit venditor, emptori præſtari oporteat. 9 ¶ Si venditor ſciens obligatum, aut alienũ vendidiſſet; & adiectum ſit, néve eo nomine quid præſtaret: æſtimari oportet dolum malum eius, quẽ ſemper abeſſe oportet in iudicio empti, quòd bonæ fidei ſit.

7. *Idem* libro 10. ad Sabinum.

Fundum mihi cùm venderes, deducto vſufructu: dixiſti, eum vſumfructum Titij eſſe, cùm is apud te remanſurus eſſet. ſi cœperis eum vſumfructum vindicare: reuerti aduerſus te non potero, donec Titius viuat; nec in ea cauſa eſſe cœperit, vt, etiam ſi eius vſusfructus eſſet, amiſſurus eum fuerit. nam tũc (id eſt, ſi capite deminutus, vel mortuus fuerit Titius) reuerti potero ad te venditorem. Idémque iuris eſt, ſi dicas eum vſumfructum Titij eſſe, cùm ſit Seij.

8. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

Si tibi liberum prædium tradidero, cùm ſeruiens tradere deberem: etiam condictio incerti competit mihi, vt patiaris, eam ſeruitutem, quam debuit imponi. 1 ¶ Quòd ſi ſeruum prædium in traditione fecero, quod liberum tibi tradere debui: tu ex empto habebis actionem, remittendæ eius ſeruitutis gratia, quam pati non debeas.

9. *Pomponius* libro 20. ad Sabinum.

Si is, qui lapides ex fundo emerit, tollere eos nolit: ex vendito agi cum eo poteſt, vt eos tollat.

10. *Vlpianus* libro 46. ad Sabinum.

Non eſt nouum, vt duæ obligationes in eiuſdem perſona de eadem re concurrant. cùm enim is, qui venditorem obligatum habebat, ei, qui eundem venditorem obligatum habebat, heres exſtiterit: cõſtat, duas eſſe actiones in eiuſdem perſona concurrentes, propriam, & hereditariam: & debere heredem inſtitutum, ſi velit ſeparatim duarum actionum cõmodo vti, ante aditam hereditatem proprium venditorem conuenire: deinde, adita hereditate, hæreditarium. quòd ſi priùs adierit hæreditatem: vnã quidem actionem mouere poteſt: ſed ita, vt per eam vtriuſque contractus ſentiat commodum. Ex contrario quoque ſi venditor venditori heres exſtiterit: palam eſt, duas euictiones eum præſtare debere.

11. *Idem* libro 32. ad Edictum.

Ex empto actione is, qui emit, vtitur. 1 ¶ Et in primis ſciendum eſt, in hoc iudicio id demum deduci, quod præſtari conuenit. cùm enim ſit bonæ fidei iudicium; nihil magis bonæ fidei congruit,



quàm id præſtari, quod inter contrahentes actum eſt. quòd ſi nihil conuenit: tunc ea præſtabuntur, quæ naturaliter inſunt huius iudicij poteſtate. 2 ¶ Et in primis ipſam rem præſtare venditorem oportet, id eſt, tradere. quæ res, ſi quidem dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum: ſi non fuit, tantum euictionis nomine venditorem obligat: ſi modo pretium eſt numeratum, aut eo nomine ſatisfactum. Emptor autem nummos venditoris facere cogitur. 3 ¶ Redhibitionem quoque contineri empti iudicio, & Labeo, & Sabinus putant, & nos probamus.

4 ¶ Animalium quoque venditor cauere debet, ea ſana præſtari & qui iumenta vendidit, ſolet ita promittere, *Eſſe, bibere, vt oportet.* 5 ¶ Si quis virginem ſe emere putaſſet, cùm mulier veniſſet, & ſciens errare eum venditor paſſus ſit: redhibitionem quidem ex hac cauſa non eſſe: verumtamen ex empto competere actionem ad reſoluendam emptionem: & pretio reſtituto mulier reddatur.

6 ¶ Is, qui vina emit, arræ nomine certam ſummam dedit: poſtea conuenerat, vt emptio irrita fieret. Iulianus, ex empto agi poſſe, ait, vt arra reſtituatur. vtilémque eſſe actionem ex empto etiam ad diſtrahendam, inquit, emptionem. Ego illud quæro: ſi anulus datus ſit arræ nomine, & ſecuta emptione, pretióque numerato, & tradita re, anulus non reddatur: qua actione agendum eſt: vtrùm condicatur, quaſi ob cauſam datus ſit, & cauſa finita ſit: an verò ex empto agendum ſit. & Iulianus diceret, ex empto agi poſſe. certe etiam condici poterit: quia iam ſine cauſa apud venditorem eſt anulus. 7 ¶ Venditorem, etiam ſi ignorans vendiderit, fugitiuum non eſſe, præſtare emptori oportere, Neratius ait. 8 ¶ Idem Neratius, etiam ſi alienum ſeruum vendideris, furtis noxiſque ſolutum præſtare te debere, ab omnibus receptum, ait. & ex empto actionem eſſe, vt habere licere emptori caueatur: ſed & vt tradatur ei poſſeſſio.

9 ¶ Idem ait: non tradentem, quanti interſit, condemnari: ſatis autem non dantem, quanti plurimum auctorem periclitari oportet.

10 ¶ Idem Neratius ait, propter omnia hæc ſatis eſſe, quod plurimum eſt, præſtari: id eſt, vt ſequentibus actionibus, deducto eo, quod præſtitum eſt, lis æſtimetur. 11 ¶ Idem rectè ait, ſi quid horum non præſtetur, cùm cetera facta ſint, nullo deducto condemnationem faciendam.

12 ¶ Idem libro ſecundo reſponſorum ait,

Emptorem noxali iudicio condemnatum, ex empto actione id tantùm conſequi, quanti minimo defungi potuit. Idémque putat, & ſi ex ſtipulatu agit: & ſiue defendat noxali iudicio, ſiue non: quia manifeſtum fuit noxium ſeruum fuiſſe, nihilo minùs vel ex ſtipulatu, vel ex empto agere poſſe.

13 ¶ Idem Neratius ait, venditorem in re tradenda debere præſtare emptori, vt in lite de poſſeſſione potior ſit. ſed Iulianus libro quintodecimo digeſtorum probat, nec videri traditum, ſi ſuperior in poſſeſſione emptor futurus non ſit. erit igitur ex empto actio, niſi hoc præſtetur.

14 ¶ Caſſius ait, eum, qui ex duplæ ſtipulatione, litis æſtimationem conſecutus eſt, aliarum rerum nomine, de quibus in venditionibus caueri ſolet, nihil conſequi poſſe. Iulianus, deficiente dupla, ex empto agendum putauit.

15 ¶ Denique libro decimo apud Minicium ait: ſi quis ſeruum ea condicione vendiderit, vt intra triginta dies duplam promitteret, poſtea ne quid præſtaretur: & emptor hoc fieri intra diem non deſiderauerit: ita demum non teneri venditorem, ſi ignorans alienum vendidit. tunc enim in hoc fieri, vt per ipſum, & per heredem eius emptorem habere liceret. qui autem alienum ſciens vendidit, dolo (inquit) non caret, & ideo empti iudicio tenebitur.

16 ¶ Sententiam Iuliani veriſſimam eſſe arbitror in pignoribus quoque. nam ſi iure creditoris vendiderit, deinde hæc fuerint euicta: non tenetur nec ad pretium reſtituendum ex empto actione creditor. hoc enim multis conſtitutionibus effectũ eſt. dolum plane venditor præſtabit. denique etiam repromittit de dolo. ſed etſi nõ repromiſerit, ſciens tamen ſibi non obligatam, vel non eſſe eius, qui ſibi obligauit, vendiderit tenebitur ex empto: quia dolum eum præſtare debere oſtendimus.

17 ¶ Si quis rem vendiderit, & ei acceſſurum quid dixerit: omnia quidem, quæ diximus in re diſtracta, in hoc quoque ſequenda ſunt. vt tamen euictionis nomine non in duplum teneatur, ſed in hoc tantùm obligetur, vt emptori habere liceat: & non ſolùm per ſe, ſed per omnes.

18 ¶ Qui autem habere licere vendidit, videamus, quid debeat præſtare. & multum intereſſe arbitror vtrùm hoc polliceatur, per ſe, venientéſque à ſe perſonas non fieri, quo minùs habere liceat, an verò per omnes. nam ſi per ſe: non videtur id præſtare, ne alius euincat. proinde ſi euicta res erit: ſiue ſtipulatio interpoſita eſt, ex ſtipulatu non tenebitur: ſiue non eſt interpoſita, ex empto non tenebitur. ſed Iulianus libro quintodecimo digeſtorum ſcribit: etiam ſi aperte venditor pronuntiet, per ſe, heredémque ſuum non teneri, quo minus habere liceat: poſſe defendi, ex empto eum in hoc quidem non teneri, quod emptoris intereſt: verumtamen, vt pretium reddat, teneri. Ibidem ait, idem eſſe dicendum, & ſi aperte in venditione cõprehendatur, nihil euictionis nomine præſtatum iri, pretium quidem deberi re euicta, vtilitatem nõ deberi: neque enim bonæ fidei contractus hac patitur conuentione, vt emptor rem amitteret, & pretiũ venditor retineret. niſi forte (inquit) ſic quis omnes iſtas ſupraſcriptas conuentiones recipiet, quemadmodum recipitur, vt venditor nummos accipiat, quamuis merx ad emptorem non pertineat. veluti cùm futurum iactum retis à piſcatore emimus, aut indaginem plagis poſitis à venatore, vel pantheram ab aucupe. nam etiam ſi nihil capit, nihilo minùs emptor pretium præſtare neceſſe habebit. ſed in ſupraſcriptis conuentionibus contrà erit dicendum: niſi forte ſciens alienum vendit, tunc enim ſecundum ſuprà à nobis relatam Iuliani ſententiam, dicendum eſt, ex empto eum teneri: quia dolo facit.

12. *Celſus* libro 27. Digeſtorum.

Si iactum retis emero, & iactare retem piſcator noluit: incertum eius rei æſtimãdum eſt. ſi quod extraxit piſcium, reddere mihi noluit: id æſtimari debet, quod extraxit.

13. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

Iulianus libro quintodecimo, inter eũ, qui ſciens quid, aut ignorans vendidit, differentiã facit in condemnatione ex empto. ait enim: qui pecus morboſum, aut tignum vitioſum vendidit, ſi quidem ignorans fecit, id tantum ex empto actione præſtaturum quanto minoris eſſem empturus, ſi id ita eſſe ſciſſem: ſi verò ſciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor traxerit, præſtaturum ei. ſiue igitur ædes vitio tigni corruerunt, ædium æſtimationem: ſiue pecora contagione morboſi pecoris perierunt, quod interfuit idonea veniſſe, erit præſtandum.

1 ¶ Item qui furem vendidit, aut fugitiuum: ſi quidem ſciens, præſtare debebit, quanti emptoris interfuit non decipi: ſi verò ignorans vendiderit, circa fugitiuum quidem tenetur, quanti minoris empturus eſſet, ſi eum eſſe fugitiuum ſciſſet, circa furem non tenetur. differentiæ ratio eſt: quod fugitiuum quidem habere non licet, & quaſi euictionis nomine tenetur venditor: furem autem habere poſſumus. 2 ¶ Quod autem diximus, *Quanti em-*

*prioris interfuit, non decipi*: multa continet: & ſi alios ſecum ſollicitauit, vt fugerent: vel res quaſdam abſtulit.

3 ¶ Quid tamen, ſi ignorauit quidem furem eſſe, adſeuerauit autem bonæ frugi, & fidum, & carò vendidit? videamus, an ex empto teneatur. & putem, teneri, atqui ignorauit. ſed non debuit facilè, quæ ignorabat, adſeuerare. inter hunc igitur, & (qui ſcit, intereſt.) qui ſcit, præmonere debuit furem eſſe; hic non debuit facilis eſſe ad temerariam indicationem.

4 ¶ Si venditor dolo fecerit, vt rem pluris venderet, puta de artificio mentitus eſt, aut de peculio: empti eum iudicio teneri, vt præſtaret emptori, quanto pluris ſeruum emiſſet, ſi ita peculiatus eſſet, vel eo artificio inſtructus.

5 ¶ Per contrarium quoque idem Iulianus ſcribit: Cùm Terentius Victor deceſsiſſet, relicto hærede fratre ſuo, & res quaſdam ex hæreditate, & inſtrumenta, & Mancipia Vellicus quidam ſubtraxiſſe, quibus ſubtractis, facilè, quaſi minimo valeret hæreditas, vt ſibi ea venderetur, perſuaſit: an venditi iudicio teneri poſsit? & ait Iulianus competere actionem ex vendito in tantum, quanto pluris hæreditas valeret, ſi hæ res ſubtractæ non fuiſſent.

6 ¶ Idem Iulianus, dolum ſolere à venditore præſtari, etiam in huiuſmodi ſpecie oſtendit. ſi cùm venditor ſciret fundum pluribus municipiis legata debere; in tabula quidem conſcripſerit, vni municipio deberi, verùm poſtea legem conſignauerit, ſi qua tributorum, aut vectigalis, indictionìſve quid nomine, aut ad viæ collationem præſtare oportet, id emptorem dare, facere, præſtaréque oportere: ex empto eum teneri, quaſi decepiſſet emptorem. quæ ſententia vera eſt.

7 ¶ Sed cùm in facto proponeretur, tutores hoc idem feciſſe, qui rem pupillarem vendebant: quæſtionis eſſe ait. an tutorum dolum pupillus præſtare debeat. & ſi quidem ipſi tutores vendiderunt: ex empto eos teneri, nequaquam dubium eſt. Sed ſi pupillus, auctoribus eis, vendidit: in tantum tenetur, in quantum locupletior ex eo factus eſt: tutoribus in reſiduum, perpetuò condemnandis. quia nec transfertur in pupillum poſt pubertatem hoc, quod dolo tutorum factum eſt.

8 ¶ Offerri pretium ab emptore debet, cùm ex empto agitur, & ideo & ſi pretij partem offerat, nondum eſt ex empto actio. venditor enim, quaſi pignus, retinere poteſt eam rem, quam vendidit.

9 ¶ Vnde quæritur: ſi pars ſit pretij ſoluta, & res tradita, poſtea euicta ſit: vtrùm eius rei conſequetur pretium integrum ex empto agens, an verò, quod numerauit. & puto magis id, quod numerauit, propter doli exceptionem.

10 ¶ Si fructibus iam maturis, ager diſtractus ſit: etiam fructus emptori cedere, niſi aliud conuenit, exploratum eſt.

11 ¶ Si in locatis ager fuit: penſiones vtique ei cedent, qui locauerat. idem & in prædiis vrbanis. niſi ſi quid nominatim conueniſſe proponatur.

12 ¶ Sed & ſi quid præterea rei venditæ nocitum eſt: actio emptori præſtanda eſt: damni fortè infecti, vel aquæ pluuiæ arcendæ, vel Aquiliæ, vel interdicti *Quod vi aut clam*.

13 ¶ Item ſi quid ex operis ſeruorum, vel vecturis iumentorum, vel nauium quæſitum eſt: emptori præſtabitur: & ſi quid peculio eorum acceſſit: non tamen, ſi quid ex re venditoris.

14 ¶ Si Titius fundum, in quo nonaginta iugera erant, vendiderit, & in lege emptionis dictum eſt, in fundo centum eſſe iugera, &, antequàm modus manifeſtetur, decem iugera alluuione adcreuerint: placet mihi Neratij ſententia exiſtimantis, vt ſi quidem ſciens vendidit, ex empto actio competat aduerſus eum, quamuis decem iugera adcreuerint, quia dolo fecit, nec dolus purgatur: ſi verò ignorans vendidit, ex empto actionem non competere.

15 ¶ Si fundum mihi alienum vendideris, & hic ex cauſa lucratiua meus factus ſit: nihilo minùs ex empto mihi aduerſus te actio competit.

16 ¶ In his autem, quæ cum re empta præſtari ſolent, non ſolùm dolum, ſed & culpam præſtandam arbitror. nam & Celſus libro octauo Digeſtorum ſcripſit: cùm conuenit, vt venditor præteritam mercedem exigat, & emptori præſtet: non ſolùm dolum, ſed & culpam eum præſtare debere.

17 ¶ Idem Celſus libro eodem ſcribit Fundi, quem cum Titio communem habebas, partem tuam vendidiſti: &, antequàm traderes, coactus es communi diuidundo iudicium accipere. ſi ſocio fundus ſit adiudicatus: quantum ob eam rem à Titio conſecutus es, id tantùm emptori præſtabis. quod ſi tibi fundus totus adiudicatus eſt: totum (inquit) eum emptori trades. ſed ita, vt ille ſoluat, quod ob eam rem Titio condemnatus es. ſed ob eam quidem partem, quam vendidiſti, pro euictione cauere debes: ob alteram autem, tantùm de dolo malo repromittere. æquum eſt enim, eandem eſſe conditionem emptoris, quæ futura eſſet, ſi cum ipſo actum eſſet communi diuidundo. ſed ſi certis regionibus fundum inter te, & Titium iudex diuiſit: ſine dubio partem, quæ adiudicata eſt, emptori tradere debes.

18 ¶ Si quid ſeruo diſtracto venditor donauit ante traditionem: hoc quoque reſtitui debet. hereditates quoque per ſeruum adquiſita, & legata omnia. nec diſtinguendum, cuius reſpectu iſta ſint relicta. item quod ex operis ſeruus præſtitit venditori emptori reſtituendum eſt: niſi ideo dies traditionis è pacto prorogatus eſt, vt ad venditorem operæ pertinerent.

19 ¶ Ex vendito actio venditori competit ad ea conſequenda. quæ ei ab emptore præſtari oportet.

20 ¶ Veniunt autem in hoc iudicium infra ſcripta: in primis pretium, quanti res venit: item vſuræ pretij poſt diem traditionis. nam cùm re emptor fruatur: æquiſsimum eſt, eum vſuras pretij pendere.

21 ¶ Poſſeſsionem autem traditam accipere debemus, etſi precaria ſit poſſeſsio. hoc enim ſolùm ſpectare debemus, an habeat facultatem fructus percipiendi.

22 ¶ Præterea ex vendito agendo, conſequetur etiam ſumptus, qui facti ſunt in re diſtracta. vtputa ſi quid in ædificia diſtracta erogatum eſt. ſcribit enim Labeo, & Trebatius, eſſe ex vendito hoc nomine actionem. idem, & ſi in ægri ſerui curationem impenſum eſt ante traditionem: aut ſi quid in diſciplinas, quas veriſimile erat etiam emptorem velle impendi. hoc ampliùs Labeo ait, & ſi quid in funus mortui ſerui impenſum ſit, ex vendito conſequi oportere: ſi modò ſine culpa venditoris mortem obierit. 23 ¶ Item ſi conuenerit, cùm res veniret, vt locuples ab emptore reus detur: ex vendito agi poſſe, vt id fiat.

24 ¶ Si inter emptorem prædiorum, & venditorem conueniſſet, vt, ſi ea prędia emptor hęréſve eius pluris vendidiſſet, eius partem dimidiam venditori præſtaret, & hæres emptoris pluris ea prædia vendidiſſet: venditorem, ex vendito agendo, partem eius, quo pluris vendidiſſet, conſecuturum.

25 ¶ Si procurator vendiderit, & cauerit emptori: quæritur, an domino vel aduerſus dominum actio dari debeat. & Papinianus libro tertio reſponſorum putat eum domino ex empto agi poſſe vtili actione, ad exemplum inſtitoriæ actionis. ſi modò rem vendendam mandauit. ergo & per contrariũ dicẽdum eſt, vtilẽ ex empto actionẽ domino competere. 26 ¶ Ibidẽ Papinianus reſpondiſſe ſe refert, ſi conuenerit, vt ad diẽ pretio non ſoluto, venditori duplum præſtaretur, in fraudem conſtitutionum videri adiectũ, quod vſuram legitimam excedit. diuerſámq; cauſam commiſſoriæ eſſe ait: cùm ea ſpecie (inquit) eca



fœnus illicitum contrahatur, ſed lex contractui non improbata dicatur.

27 ¶ Si quis, colludente procuratore meo, ab eo emerit: an poſsit agere ex empto? & puto, hactenus, vt ſtetur emptioni, aut diſcedatur.

28 ¶ Sed & ſi quis minorem viginti quinque annis circumuenerit: & huic hactenus dabimus actionem ex empto, vt diximus in ſuperiore caſu.

29 ¶ Si quis à pupillo ſine tutoris auctoritate emerit: ex vno latere conſtat contractus: nam qui emit, obligatus eſt pupillo, pupillum ſibi non obligat. 30 ¶ Si venditor habitationem exceperit, vt inquilino liceat habitare, vel colono, vt perfrui liceat ad certum tempus: magis eſſe Seruius putabat, ex vendito eſſe actionem: denique Tubero ait, ſi iſte colonus damnum dederit, emptorem ex empto agentem cogere poſſe venditorem, vt ex locato cum colono experiatur: vt, quidquid fuerit conſecutus, emptori reddat. 31 ¶ Ædibus diſtractis, vel legatis: ea eſſe ædium ſolemus dicere, quæ quaſi pars ædium, vel propter ædes habentur. vtputa puteal,

14. *Pomponius* libro trigenſimo primo ad Quintum Mucium.

IDeſt, quo puteum operitur.

15. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

LInes, & labra, ſalientes, fiſtulæ quoque, quæ ſalientibus iunguntur, quamuis longè excurrant, extra ædificium, ædium ſunt. item canales. piſces autem, qui ſunt in piſcina, non ſunt ædium, nec fundi:

16. *Pomponius* libro trigenſimo primo ad Quintum.

NOn magis, quàm pulli, aut cetera animalia, quę in fundo ſunt.

17. *Vlpianus* libro trigenſimo ſecundo ad Edictum.

FVndi nihil eſt, niſi quod terra ſe tenet, ædium autem multa eſſe, quæ ædibus adfixa non ſunt, ignorari non oportet: vtputa ſeras, claues, clauſtra. multa etiam defoſſa eſſe, neque tamen fundi, aut villæ haberi: vtputa vaſa vinaria, torcularia: quoniam hæc inſtrumentis magis ſunt, etiam ſi ædificio cohærent.

1 ¶ Sed & vinum, & fructus perceptos, villæ non eſſe conſtat.

2 ¶ Fundo vendito, vel legato, ſterculinum, & ſtramenta, emptoris, & legatarij ſunt: ligna autem venditoris, vel heredis: quia non ſunt fundi, tametſi ad eam rem comparata ſunt. In ſterculino autem diſtinctio Trebatij probanda eſt: vt, ſi quidem ſtercorandi agri cauſa comparatum ſit, emptorem ſequatur, ſi vendendi, venditorem: niſi ſi aliud actum eſt. Nec intereſt, in ſtabulo iaceat, an aceruus ſit.

3 ¶ Quæ tabulæ pictæ pro tectorio includuntur, itémque cruſtæ marmoreæ, ædium ſunt.

4 ¶ Reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item Cilicia vela, ædium non ſunt.

5 ¶ Item quod inſulæ cauſa paratum eſt, ſi nondũ perfectum eſt, quamuis poſitum in ædificio ſit, non tamen videtur ædium eſſe.

6 ¶ Si ruta & cæſa excipiantur in venditione: ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt, vt harena, creta, & ſimilia: cæſa ea eſſe, vt arbores cæſas, & carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius, cuius Mela refert opinionem rectè ait, fruſtra in lege venditionis de rutis & cæſis contineri: quia, ſi non ſpecialiter venierint, ad exhibendum de his agi poteſt. neque enim magis de materia cæſa, aut de cæmentis, aut de harena cauendum eſt venditori, quàm de ceteris, quæ ſunt pretioſiora.

7 ¶ Labeo generaliter ſcribit, ea, quæ perpetui vſus cauſa in ædificiis ſunt, ædificij eſſe: quæ verò ad præſens, non eſſe ædificij. vtputa (fiſtulæ) temporis quidem cauſa poſitæ, non ſunt ędium: verumtamen, ſi perpetuò fuerint poſitæ, ædium ſunt.

8 ¶ Caſtella plumbea, putea, opercula puteorum, epiſtomia fiſtulis adplumbata, aut quæ terra continentur, quamuis non ſint adfixa, ædium eſſe conſtat.

9 ¶ Item conſtat, ſigilla, columnas quoque, & perſonas ex quorum roſtris aqua ſalire ſolet, villæ eſſe.

10 ¶ Ea, quæ ex ædificio detracta ſunt, vt reponantur, ædificij ſunt. at quæ parata ſunt, vt imponantur, non ſunt ædificij.

11 ¶ Pali, qui vineæ cauſa parati ſunt, antequàm collocentur, fundi non ſunt, ſed qui exempti ſunt hac mente, vt collocentur, fundi ſunt.

18. *Iauolenus* libro 7. ex Caſsio.

GRanaria, quæ ex tabulis fieri ſolent, ita ædium ſunt, ſi ſtipites eorũ in terra defoſſi ſunt. quòd ſi ſupra terram ſunt, rutis & cæſis cedunt.

1 ¶ Tegulæ, quæ nondum ædificiis impoſitæ ſunt, quamuis tegendi gratia allatæ ſunt, in rutis & cæſis habentur. aliud iuris eſt in his quæ detractæ ſunt, vt reponerentur: ædibus enim accedunt.

19. *Gaius* ad Edictum prætoris titulo de Publicanis.

VEteres, in emptione venditionéque, appellationibus promiſcuè vtebantur:

20. *Idem* libro vicenſimo primo ad Edictum Prouinciale.

IDem eſt & in locatione & conductione.

21. *Paulus* libro trigenſimo tertio ad Edictum.

SI ſterilis ancilla ſit, cuius partus venit, vel maior annis quinquaginta, cùm id emptor ignorauerit, ex empto tenetur venditor.

1 ¶ Si prædij venditor non dicat de tributo ſciens, tenetur ex empto quòd ſi ignorans non prædixerit, quòd fortè hereditarium prædium erat, nõ tenetur.

2 ¶ Quamuis ſuprà diximus, cùm in corpore conſentiamus, de qualitate autem diſſentiamus, emptionem eſſe: tamen venditor teneri debet, quanti intereſt, non eſſe deceptum, etſi venditor quoque neſciet: veluti ſi menſas quaſi citreas emat, quæ non ſunt.

3 ¶ Cùm per venditorem ſteterit, quò minùs rem tradat: omnis vtilitas emptoris in æſtimationem venit, quæ modò circa ipſam rem cõſiſtit. neque enim, ſi potuit ex vino (puta) negotiari, & lucrum facere, id æſtimandum eſt: non magis, quàm ſi triticum emerit, & ob eam rem, quòd non ſit traditum, familia eius fame laborauerit. nam pretium tritici, non ſeruorum fame necatorum, conſequitur. nec maior ſit obligatio, quòd tardiùs agitur: quamuis creſcat, ſi vinum hodie pluris ſit. meritò: quia ſiue datum eſſet, haberem emptor: ſiue non, quoniam ſaltem hodie dandum eſt, quod iam olim dari oportuit.

4 ¶ Si tibi fundum vendidero, vt eum conductum certa ſumma haberem: ex vendito, eo nomine, mihi actio eſt: quaſi in partem pretij ea res ſit.

5 ¶ Sed etſi ita fundum tibi vendidero, vt nulli alij eum, quàm mihi venderes: actio eo nomine ex vendito eſt, ſi alij vendideris.

6 ¶ Qui domum vendebat, excepit ſibi habitationem, donec viueret; aut in ſingulos annos, decem. emptor primo anno maluit decem præſtare: ſecundo anno habitationem præſtare. Trebatius ait, mutandæ voluntatis poteſtatem eum habere, ſingulíſq; annis alterutrum præſtare poſſe, &, quamdiu paratus ſit alterutrum præſtare, petitionem non eſſe.

22. *Iulianus* libro 7. Digeſtorum.

SI in qualitate fundi venditor mentitus ſit, non in modo eius: tamen tenetur emptori. pone enim dixiſſe eum, quinquaginta iugera eſſe vineæ, & quinquaginta prati, & in prato plus inueniri, eſſe tamen omnia centum iugera.

23. *Idem* libro 13. Digeſtorum.

SI quis ſeruum, quem cum peculio vendiderat, manumiſerit: non ſolùm peculij nomine, quod ſeruus habuit tempore, quo manumittebatur, ſed & eorum, quæ poſtea adquirit, tenetur: & præterea cauere debet, quidquid ex heredi-

Iſte liberti ad eum peruenerit, reſtituiri. *Marcellus notat*: Illa præſtare venditor ex empto debet, quæ há beret emptor, ſi homo manumiſſus non eſſet. non continebuntur igitur, quæ, ſi manumiſſus non fuit, adquiſiturus non eſſet.

24. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

SI ſeruus, in quo vſusfructus tuus erat, fundum emerit, &, antequàm pecunia numeraretur, capite minutus fueris: quamuis pretium ſolueris: actionem ex empto non habebis, propter talem capitis deminutionem: ſed indebiti actionem aduerſus venditorem habebis. ante capitis autem minutionem nihil intereſt, tu ſoluas, an ſeruus ex eo peculio, quod ad te pertinet: nam vtroque caſu actionem ex empto habebis.

1 ¶ Seruum tuum imprudens à fure bona fide emi. is ex peculio, quod ad te pertinebat, hominem parauit, qui mihi traditus eſt. poſſe te eum hominem mihi condicere, Sabinus dixit. ſed ſi quid mihi abeſſet ex negotio, quod is geſſiſſet, inuicem me tecum acturum de peculio. Caſsius veram opinionem Sabini rettulit. in qua ego quoque ſum.

2 ¶ Seruo vendente hominem, fideiuſſor venditionis, omnia præſtare debet, in quæ obligaretur, ſi pro libero fideiuſſiſſet. nam & in dominum actio ſic datur, vt emptor eadem conſequatur, quæ, libero vendente, conſequi debuiſſet. ſed vltra peculij taxationem dominus non condemnatur.

25. *Idem* libro 54. Digeſtorum.

QVi pendentem vindemiam emit, ſi vuam legere prohibeatur à venditore, aduerſus eum petentem pretium, exceptione vti poterit. *Si ea pecunia, qua de agitur, non pro ea re petitur, qua venit, neque tradita eſt.* ceterùm poſt traditionem, ſiue lectam vuam calcare, ſiue muſtum euehere prohibeatur, ad exhibendum, vel iniuriarum agere poterit: quemadmodum ſi aliam quamlibet rem ſuam tollere prohibeatur.

26. *Alfenus Varus* libro 2. Digeſtorum.

SI quis, cum fundum venderet, dolia centum, quæ in fundo eſſe adfirmabat, acceſſura dixiſſet: quamuis ibi nullum dolium fuiſſet: tamen dolia emptori debebit.

27. *Paulus* libro 3. Epitomarum Alfeni.

QVidquid venditor acceſſurum dixerit: id integrum, ac ſanum tradi oportet. veluti ſi fundo dolia acceſſura dixiſſet: non quaſſa, ſed integra dare debet.

28. *Iulianus* libro tertio ad Vrſeium Ferocem.

PRædia mihi vendidiſti: & conuenit, vt aliquid facerem: quòd ſi non feciſſem, pœnam promiſi. reſpondit: Venditor, antequam pœnam ex ſtipulatu petat, ex vendito agere poteſt. ſi conſecutus fuerit, quātum pœnæ nomine ſtipulatus eſſet: agentem ex ſtipulatu, doli mali exceptio ſummouebit. ſi ex ſtipulatu pœnam conſecutus fueris, ipſo iure ex vendito agere non poteris, niſi in id, quod pluris eius interfuerit, id fieri.

29. *Idem* libro 4. ex Minicio.

CVi res ſub condicione legata erat, is eam imprudens ab herede emit. actione ex empto poterit conſequi emptor pretium: quia non ex cauſa legati rem habet.

30. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

SEruus, quem de me cum peculio emiſti, priùs quàm tibi traderetur, furtum mihi fecit. quamuis ea res, quam ſubripuit, interierit: nihilo minùs retentionem, eo nomine, ex peculio me habiturum ait: id eſt, ipſo iure ob id factum minutum eſſe peculium: eo ſcilicet, quòd debitor meus ex cauſa condictionis ſit factus. nam licèt, ſi iam traditus furtum mihi feciſſet; aut omnino condictionem, eo nomine, de peculio non haberem, aut eatenus haberem, quatenus ex re furtiua auctum peculium fuiſſet: tamen in propoſito & retentionem me habiturum, &, ſi omne peculium penes te ſit, vel, quaſi plus debito ſoluerim, poſſe me condicere. Secundum quæ dicendum: ſi nummos, quos ſeruus iſte mihi ſubripuerat, tu ignorans furtiuos eſſe, quaſi peculiares ademeris, & conſumpſeris: condictio eo nomine mihi aduerſus te competat: quaſi res mea ad te ſine cauſa peruenerit.

1 ¶ Si ſciens alienam rem ignoranti mihi vendideris: etiam priùs quàm euincatur, vtiliter me ex empto acturum putauit in id, quanti mea intereſſit, meam eſſe factam. quamuis enim alioquin verum ſit, venditorem hactenus teneri, vt rem emptori habere liceat, non etiam, vt eius faciat: quia tamen dolum malum abeſſe præſtare debeat: teneri eum, qui ſciens alienam non ſuam ignoranti vendidit. Idem eſt maxime, ſi manumiſſuro, vel pignori daturo vendiderit.

31. *Neratius* libro 3. Membranarum.

SI ea res, quam ex empto præſtare debebā, vi mihi adempta fuerit: quamuis eam cuſtodire debuerim: tamen propius eſt, vt nihil amplius, quàm actiones perſequendæ eius præſtari à me emptori oporteat: quia cuſtodia aduerſus vim parum proficit. actiones autem eas non ſolùm arbitrio, ſed etiam periculo tuo tibi præſtare debebo: vt omne lucrum, ac diſpendium te ſequatur.

1 ¶ Et non ſolùm, quod ipſe per eum adquiſii, præſtare debeo: ſed & id, quod emptor, iam tunc ſibi tradito ſeruo, adquiſiturus fuiſſet.

2 ¶ Vterque noſtrum eandem rem emit à non domino, cùm emptio venditióque ſine dolo malo fieret: tradi áque eſt. ſiue ab eodem emimus, ſiue ab alio, atque alio: is ex nobis tuendus eſt, qui prior ius eius adprehendit: hoc eſt, cui primùm tradita eſt. ſi alter ex nobis à domino emiſſet: is omnimodo tuendus eſt.

32. *Vlpianus* libro 11. ad Edictum.

SI quis à me oleum, quod emiſſet, adhibitis iniquis ponderibus accepiſſet, vt in modo me falleret, vel emptor circumſcriptus ſit à venditore ponderibus minoribus: Pomponius ait, poſſe dici, venditorem, ſibi dare oportere, quod plus eſt, petere. quod habet rationem. ergo & emptor ex empto habebit actionem, qua contentus eſſe poſsit.

33. *Idem* libro 23. ad Edictum.

ET ſi vno pretio plures res emptæ ſint: de ſingulis ex empto & vendito agi poteſt.

34. *Idem* libro 18. ad Edictum.

SI, fundo vendito, in qualitate iugerum captio eſt: ex empto erit actio.

35. *Idem* libro 70. ad Edictum.

SI quis fundum emerit, quaſi per eum fundum eundi agendi ius non eſſet, & interdicto de itinere actúque victus ſit: ex empto habebit actionem. licèt enim ſtipulatio de euictione non committatur, quia non eſt de iure ſeruitutis in rem actione pronuntiatum: tamen dicendum eſt, ex empto actionem competere.

36. *Paulus* libro 7. ad Plautium.

VEnditor domus, antequàm eam tradat, damni infecti ſtipulationem interponere debet. quia, antequàm vacuam poſſeſsionem tradat, cuſtodiam & diligentiam præſtare debet: & pars eſt cuſtodiæ diligentiæque, hanc interponere ſtipulationem. & ideo, ſi id neglexerit, tenebitur emptori.

37. *Idem* libro 14. ad Plautium.

SIcut æquum eſt, bonæ fidei emptori alterius dolum non nocere, ita non eſt æquum, eidem perſonæ venditoris ſui dolum prodeſſe.

38. *Celſus* libro 8. Digeſtorum.

SI venditor hominis dixit, peculium eum habere decem, nec quemquam ademptuum: etſi plus habet, totum præſtet: niſi hoc actum eſt, vt dumtaxat decem præſtaret: ſi minus eſt, præſtet eſſe decem, & talem ſeruum eſſe, vt tantum peculij habeat.

1 ¶ Si per emptorem ſteterit, quo minus ei mancipium traderetur, pro cibariis per arbitrium indēmnem poſſe ſeruari, Sextus Ælius, Druſus dixerūt, quorum & mihi iuſtiſsima videtur eſſe ſententia.



3 ¶ Firmus à Proculo quæſiit: ſi de plumbeo caſtello, quod in ſuo terram miſſæ, aquam ducerent in aēnū labrum circumſtructum: an hæ ædium eſſent, an vt ruta cæſa vincta fixáque, quæ ædium non eſſent. ille reſpondit, referre, quid acti eſſet. quid ergo, ſi nihil de ea re neque emptor, neque venditor cogitauerunt, vt plerumque in eiuſmodi rebus euenire ſolet? nónne propius eſt, vt inſerta, & incluſa ædificio, partem eius eſſe exiſtimemus?

39. *Modeſtinus* libro 5. Regularum.

QVæro: ſi quis ita fundum vendiderit vti venundatum eſſe videatur, quod intra terminos ipſe poſſidet, ſciens tamen aliquam partem certam ſe nō poſſidere, non certiorauerit emptorem; an ex empto iudicio teneatur: cùm hæc generalis adiectio ad ea, quæ ſpecialiter nouit, qui vendidit, nec excepit, pertinere non debeat; ne alioquin emptor capiatur, qui fortaſſe, ſi hoc cognouiſſet, vel empturus non eſſet, vel minoris empturus eſſet, ſi certioratus de loco certo fuiſſet: cùm hoc & apud veteres ſit relatum in ea perſona, qui ſic exceperat, *Seruitutes, ſi quæ debentur, debebuntur.* etenim iuris auctores reſponderunt, ſi certus venditor quibuſdam perſonis certas ſeruitutes debere non admonuiſſet emptorem, ex empto eum teneri debere: quando hæc generalis exceptio non ad ea pertinere debeat, quæ venditor nouit, quæque ſpecialiter excipere & potuit, & debuit: ſed ad ea, quæ ignorauit, & de quibus emptorem certiorare nequiuit. Herennius Modeſtinus reſpondit, ſi quid circumueniendi emptoris cauſa venditor in ſpecie, de qua quæritur, fecit: ex empto actione conueniri poſſe.

40. *Pomponius* libro 31. ad Quintum Mucium.

QVintus Mucius ſcribit: Dominus fundi de prædio arbores ſtantes vendiderat: & pro his rebus pecuniam acceperat: & tradere nolebat. emptor quærebat, quid ſe facere oporteret. & verebatur, ne hæ arbores eius non viderentur factæ. *Pomponius*: Arborum, quæ in fundo continentur, non eſt ſeparatum corpus à fundo. & ideo, vt dominus, ſuas ſpecialiter arbores vindicare emptor non poterit. ſed ex empto habet actionem.

41. *Papinianus* libro 3. Reſponſorum.

IN venditione, ſuper annua penſitatione pro aquæductu infra domum Romæ conſtitutam, nihil cōmemoratum eſt. deceptus ob eam rem ex empto actionem habebit. itaque, ſi conuenitur ob pretium ex vendito, ratio inprouiſi oneris habetur.

42. *Paulus* libro 2. Quæſtionum.

SI duorum fundorum venditor ſeparatim de modo cuiuſque pronuntiauerit, & ita vtrumque vno pretio tradiderit, & alteri aliquid deſit: quamuis in altero exſuperet: forte ſi dixit, vnum centum iugera, alterum ducenta habere: non proderit ei, quod in altero ducenta decem inueniuntur, ſi in altero decem deſunt. & de his ita apud Labeonem relatum eſt. ſed an exceptio doli mali venditori profutura ſit, poteſt dubitari. vtique ſi exiguus modus ſiluæ deſiit: & plus in vineis habeat, quàm repromiſſum eſt. an nō facit dolo, qui iure perpetuo vtitur: nec enim hic, quod amplius in modo inuenitur, quàm alioquin dictum eſt, ad compendium venditoris, ſed ad emptoris pertinet. & tunc tenetur venditor, cùm minor modus inuenitur. videamus tamen, ne nulla querella ſit emptoris in eodem fundo, ſi plus inueniat in vinea, quàm in prato, cùm vniuerſus modus conſtat. Similis quæſtio eſſe poteſt ei, quæ in duobus fundis agitata eſt, & ſi quis duos ſtatu liberos vno pretio vēdat: & dicat, vnum decem dare iuſſum, qui quindecim dare debebat. nam & hic tenebitur ex empto actione: quamuis emptor à duobus viginti accepturus ſit. Sed rectius eſt: in omnibus ſupraſcriptis caſibus lucrum cum damno compenſari: &, ſi quid deeſt emptori, ſiue pro modo, ſiue pro qualitate loci, hoc ei reſarciri.

43. *Idem* libro 4. Quæſtionum.

TItius, cùm decederet Seiæ Stichum, Pamphilum, Areſcuſam, per fideicommiſſum relinquit: eiuſque fidei commiſit, vt omnes ad libertatem poſt annum perduceret. cùm legataria fideicommiſſum ad ſe pertinere noluiſſet, nec tamen heredem à ſua petitione liberaſſet: heres eadem mancipia Sempronio vendidit, nulla commemoratione fideicommiſſæ libertatis facta. emptor, cùm pluribus annis mancipia ſupraſcripta ſibi ſeruiſſent, Areſcuſam manumiſit. & cùm ceteri quoque ſerui, cognita voluntate defuncti, fideicommiſſam libertatem petiiſſent, & heredem ad prætorem perduxiſſent: iuſſu prætoris, ab herede ſunt manumiſſi. Areſcuſa quoque, nolle ſe emptorem patronū habere, reſponderat. cùm emptor pretium à venditore, empti iudicio, Areſcuſæ quoque nomine repeteret: lectum eſt reſponſum Domitij Vlpiani, quo continebatur, Areſcuſam pertinere ad reſcriptum ſacrarum conſtitutionum, ſi nollet emptorem patronum habere, emptorem tamen nihil poſſe poſt manumiſsionem à venditore conſequi. Ego cùm meminiſſem, & Iulianum in ea ſententia eſſe, vt exiſtimaret, poſt manumiſsionem quoque empti actionem durare: quæro, quæ ſententia vera eſt. Illud etiam in eadem cognitione nomine emptoris deſiderabatur, vt ſumptus, quos in vnum ex his, quem erudierat, fecerat, ei reſtituerentur, IDem quæro, Areſcuſa, quæ recuſauit emptorem patronum habere, cuius ſit liberta conſtituta: an poſsit vel legatariam, quæ non liberauit: vel heredem patronum habere. nam ceteri duo ab herede manumiſsi ſunt. Reſpondi: Semper probaui Iuliani ſententiam putantis, (manumiſsione non amittitur eo modo.) De ſumptibus verò, quos in erūdendum hominem emptor fecit, videndum eſt. nam empti iudicium ad eam quoque ſpeciem ſufficere exiſtimo: non enim pretium continet tantùm: ſed omne, quod intereſt emptoris, ſeruum non euinci. planè ſi in tantum pretium excediſſe proponas, vt non ſit cogitatum à venditore de tanta ſumma; veluti ſi ponas agitatorem poſtea factum, vel pantomimum, euictum eſſe eum, qui minimo veniit pretio: iniquum videtur, in magnam quantitatem obligari venditorem:

44. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

CVm & fortè idem mediocriū facultatium ſit: & non vltra duplum, periculum ſubire eum oportet.

45. *Paulus* libro 5. Queſtionum.

IDque & Iulianum agitaſſe, Africanus refert. quod iuſtum eſt. ſicut minuitur præſtatio, ſi ſeruus deterior apud emptorem effectus ſit, cùm euincitur.

1 ¶ Illud expeditius videbatur: ſi mihi alienam aream vendideris, & in eam ego ædificauero, atque ita eam dominus euincit. nam, quia poſsim petentem dominum, niſi impenſam ædificiorum ſoluat, doli mali exceptione ſummouere: magis eſt, vt ea res ad periculum venditoris non pertineat. quod & in ſeruo dicendum eſt, ſi in ſeruitutem, non in libertatem euinceretur: vt dominus mercedes, & impenſas præſtare debeat. quòd ſi emptor non poſsideat ædificium, vel ſeruum: ex empto habebit actionem. in omnibus tamen his caſibus, ſi ſciens quis alienum vendiderit, omnimodo teneri debet.

2 ¶ Supereſt tertia deliberatio, cuius debet eſſe li-

berta Areſcuſa, quæ recuſat emptorem. & non ſine ratione dicetur, eius debere effici libertam, à quo vendita eſt: id eſt heredis: quia & ipſe ex empto actione tenetur. ſed hoc ita, ſi non Areſcuſa elegerit emptoris patronatum. tunc etenim & illius remanet liberta: & ille ex empto actionem non habet, quia nihil eius intereſt, cùm eam libertam habet.

46. *Idem* libro 24. Quæſtionum.

SI quis alienam rem vendiderit, & medio tempore heres domino rei extiterit: cogetur implere venditionem.

47. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

LVcius Titius, accepta pecunia ad materias vendendas ſub pœna certa, ita vt, ſi non integras repræſtauerit intra ſtatuta tempora, pœna conueniatur, partim datis materiis, deceſsit. cùm igitur teſtator in pœnam commiſerit, neque heres eius reliquam materiam exhibuerit: an & in pœnam, & in vſuras conueniri poſsit? præſertim cùm emptor mutuatus pecuniam, vſuras grauiſsimas expendit? Paulus reſpondit,

EX contractu, de quo quæritur, etiam heredem venditoris in pœnam conueniri poſſe: in actione quoque ex empto, officio iudicis, poſt moram intercedentem, vſurarum pretij rationem haberi oportere.

48. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

TItius heres Sempronii fundum Septicio vendidit ita, *Fundus Sempronianus, quidquid Semproniȷ iuris fuit, erit tibi emptus tot nummis:* vacuámque poſsionem tradidit, neque fines eius demonſtrauit. quæritur, an empti iudicio cogendus ſit oſtendere ex inſtrumentis hereditariis, quid iuris defunctus habuerit, & fines oſtendere. reſpondi, id ex ea ſcriptura præſtandum, quod ſenſiſſe intelleguntur. quod ſi non appareat: debere venditorem & inſtrumenta fundi, & fines oſtendere. hoc etenim contractui bonæ fidei conſonat.

49. *Hermogenianus* libro ſecundo iuris Epitomarum.

QVi per colluſionem imaginarium colonum, circumueniendi emptoris cauſa, ſubpoſuit: ex empto tenetur. nec defenditur: ſi, quo faciliùs excogitata fraus occultetur, colonum, & quinquennij penſiones, in fidem ſuam receipiat.

1 ¶ Pretij ſorte, licet poſt moram, ſoluta, vſuræ peti non poſſunt: cùm hæ non ſint in obligatione, ſed officio iudicis præſtentur.

50. *Labeo* libro quarto Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

BOna fides non patitur: vt, cùm emptor alicuius legis beneficio pecuniam rei venditæ debere deſiſſet, antequam res ei tradatur, venditor tradere cõpelletur, & re ſua careret, poſſeſsione autem tradita futurum eſt, vt rem venditor æquè amitteret: vtpote cùm petenti eam rem (emptor exceptionem rei venditæ & traditæ obiiciat: vt perinde habeatur, acſi) pe- titor ei neque vendidiſſet, neque tradidiſſet.

51. *Idem* libro 5. Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

SI & per emptorem, & venditorem mora fuiſſet, quo minus vinum præberetur, & traderetur: perinde eſſe ait, quaſi ſi per emptorem ſolum ſtetiſſet. non enim poteſt videri mora per venditorem emptori facta eſſe, ipſo moram faciente emptore.

1 ¶ Quòd ſi fundum emiſti ea lege, vti des pecuniam kalendis Iuliis: etſi ipſis Kalendis per venditorem eſſet factum, quo minus pecunia ei ſolueretur; deinde per te ſtaret, quo minùs ſolueres: vti poſſe aduerſus te lege ſua venditorem dixi: quia in vendendo hoc ageretur, vt, quandoque per emptorem factum ſit, quo minùs pecuniam ſoluat, legis pœnam patiatur. hoc ita verum puto, niſi ſi quid in ea re vẽditor dolo fecit.

52. *Scæuola* libro 7. Digeſtorum.

CReditor fundum ſibi obligatum; cuius chirographa, tributorum à debitore retro ſoluturum, apud ſe depoſita habebat; vendidit Mæuio ea lege, vt, ſi quid tributorum nomine debitum eſſet, emptor ſolueret. idem fundus ob cauſam eorum tributorũ, quæ iam ſoluta erant, à conductore ſaltus, in quo idem fundus eſt, venit. cùmque idem Mæuius emit; & pretium ſoluit. quæſitum eſt, an empti iudicio, vel aliqua actione emptor à venditore conſequi poſſit, vt ſolutionum ſuprascriptarum chirographa ei dẽtur. reſpondit, poſſe emptorem empti iudicio conſequi; vt inſtrumenta, de quibus quæreretur, exhibeantur.

1 ¶ Prædium æſtimatum in dotem à patre filiæ ſuæ nomine datum, obligatum creditori deprehenditur. quæſitum eſt; an filius, qui hereditatem patris retinet, cum ab ea ſe filia abſtinuiſſet, dote contenta; actione ex empto teneatur, vt à creditore lueret, & marito liberum præſtaret. reſpondit, teneri.

2 ¶ Inter venditorem, & emptorem militiæ ita conuenit; vt ſalarium, quod debeatur ab illa perſona, emptori cederet. quæſitum eſt, emptor militiæ quam quantitatem à quo exigere debet, & quid ex eiùſmodi pacto venditor emptori præſtare debeat. reſpondit, venditorem actiones extraordinarias eo nomine, quas haberet, præſtare debere.

3 ¶ Ante domum mari iunctam, molibus iactis, ripam cõſtituit: &, vti ab eo poſſeſſa domus fuit, Gaio Seio vendidit. quæro: an ripa, quæ ab auctore domui coniuncta erat, ad emptorem quoque iura emptionis pertineat. reſpondit, eodem iure fore venditam domum, quo fuiſſet priùs, quàm veniret.

53. *Labeo* libro 1. Pithanon.

SI mercedem inſulæ acceſſuram eſſe emptori dictum eſt: quanti inſula locata eſt, tantum emptori præſtetur. *Paulus*: Immo ſi inſulam totam vno nomine locaueris, & amplioris conductor locauerit, & in vendenda inſula mercedem emptori ceſſuram eſſe dixeris: id accedet, quod tibi totius inſulæ conductor debebit.

1 ¶ Si eum fundum vendidiſti, in quo ſepulchrum habuiſti, nec nominatim tibi ſepulchrum excepiſti: parum habes eo nomine cautum. *Paulus*: Minime, ſi modò in ſepulcrum iter publicum tranſit.

2 ¶ Si habitatoribus habitatio lege venditionis recepta eſt: omnibus in ea habitantibus, præter dominum, rectè recepta habitatio eſt. *Paulus*: Immo ſi cui in ea inſula, quam vendideris, gratis habitationem dederis, & ſic receperis, *Habitatoribus aut quam quiſque diem conductum habet*: parum caueris. nominatim enim de his recipi oportuit. itaque eos habitatores emptor inſulæ habitatione impunè prohibebit.

54. *Idem* libro 2. Pithanon.

SI ſeruus, quem vendideras, iuſſu tuo aliquid fecit, & ex eo crus fregit: ita demum ea res tuo periculo non eſt, ſi id imperaſti, quod ſolebat ante venditionem facere; & ſi id imperaſti, quod etiam non vendito ſeruo imperaturus eras. *Paulus*: Minimè. nam, ſi periculoſam rem ante venditionem facere ſolitus eſt, culpa tua id factum eſſe videbitur. putà enim eum fuiſſe ſeruum, qui per catadromum deſcendere, aut in cloacam dimitti ſolitus eſſet. Idem iuris erit, ſi eam rem imperare ſolitus fueris, quàm prudens & diligens paterfamilias imperaturus ei ſeruo non fuerit. Quid, ſi hoc exceptum fuerit? tamen poteſt ei ſeruo non eam rem imperare, quam imperaturus non fuiſſet: ſi (non) veniſſet. veluti ſi ei imperaſti, vt ad emptorem iret, qui peregrè eſſet. nam certè ea res tuo periculo eſſe non debet. itaque ea tota res ad dolum malum duntaxat: & culpam venditoris dirigenda eſt. 1 ¶ Si dolia octoginta accedere fundo, quæ



quæ infoſſa eſſent, dictum erit; & plura erunt, quàm ad eum numerum: dabit emptori ex omnibus, quæ vult, dum integra det. ſi ſola octoginta ſunt: qualiacumq; emptorem ſequentur: nec pro non integris quicquam ei venditor præſtabit.

55. *Pomponius* libro 10. Epiſtularum.

SI ſeruus, qui emeretur, vel promitteretur, in hoſtium poteſtate ſit: Octauenus magis putabat, valere emptionem, & ſtipulationem: quia inter ementem, & vendentem eſſet commercium. potiùs enim difficultatem in præſtando eo ineſſe, quàm in natura. etiam ſi officio iudicis ſuſtinenda eſſet eius præſtatio, donec præſtari poſsit.

---

LOCATI CONDVCTI.

TIT. II.

*Paulus* libro 34. ad Edictum.

LOcatio & conductio: cùm naturalis ſit, & omniũ gentium, non verbis, ſed conſenſu contrahitur: ſicut emptio & venditio.

2. *Gaius* libro 2. Rerum cotidianarum.

LOcatio & conductio proxima eſt emptioni & venditioni. hiſdémq; iuris regulis conſtitit. nam vt emptio & venditio ita contrahitur, ſi de pretio conuenerit: ſic & locatio & conductio contrahi intellegitur, ſi de mercede conuenerit. 1 ¶ Adeo autem familiaritatem aliquam habere videntur emptio & venditio, item locatio & conductio, vt in quibuſdam quæri ſoleat, vtrùm emptio & venditio ſit, an locatio & conductio. vt ecce ſi cum aurifice mihi conuenerit, vt is ex auro ſuo anulos mihi faceret certi ponderis, certæq; formæ; & acceperit (verbi gratia) trecenta: vtrùm emptio & venditio ſit, an locatio & conductio, ſed placet vnum eſſe negotium, & magis emptionem & venditionem eſſe. quod ſi ego aurum dedero, mercede pro opera conſtituta: dubium non eſt, quin locatio & conductio ſit.

3. *Pomponius* libro 9. ad Sabinum.

CVm fundus locetur, & æſtimatum inſtrumentũ colonus accipiat: Proculus ait, id agi, vt inſtrumentum emptum habeat colonus: ſicuti fieret, cùm quid æſtimatum in dotem daretur.

4. *Idem* libro 16. ad Sabinum.

LOcatio, precariíve rogatio ita facta, quoad is, qui eam locaſſet dediſſétve, vellet; morte eius, qui locauit, tollitur.

5. *Vlpianus* libro 28. ad Edictum.

SI tibi habitationem locauero, mox penſionem remittam: ex locato & conducto agendum erit.

6. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

IS, qui rem conduxerit, non cogitur reſtituere id quod, rei nomine, furti actione conſecutus eſt.

7. *Paulus* libro 32. ad Edictum.

SI tibi alienam inſulam locauero quinquaginta, túque eandem ſexaginta Titio locaueris, & Titius à domino prohibitus fuerit habitare: agentem te ex conducto, ſexaginta conſequi debere placet: quia ipſe Titio tenearis in ſexaginta.

8. *Tryphoninus* libro 9. Diſputationum.

NOs videamus: ne non ſexaginta præſtanda, nec quinquaginta ſint; ſed quanti intereſt, perfrui conductione: tantumdémque conſequatur medius, quantum præſtare debeat ei, qui à ſe conduxit: quoniam emolumentum conductionis, ad comparationem vberioris mercedis computatum, maiorem efficit condemnationem. & tamen primus locator reputationem habebit quinquaginta, quæ ab illo perciperet, ſi dominus inſulæ habitare nouiſsimum conductorem non vetuiſſet, quo iure vtimur.

9. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

SI quis domum bona fide emptam vel fundum locauerit mihi, iſque ſit euictus ſine dolo malo culpaq; eius: Pomponius ait, nihilominùs eum teneri ex conducto ei, qui conduxit: vt ei præſtetur, frui, quod conduxit, licere. planè ſi dominus non patitur, & locator paratus ſit aliam habitationem non minùs commodam præſtare, æquiſsimum eſſe ait, abſolui locatorem. 1 ¶ Hic ſubiungi poteſt, quod Marcellus libro ſexto Digeſtorum ſcripſit: ſi fructuarius locauerit fundum in quinquennium, & deceſſerit; hæredem eius non teneri, vt frui præſtet: non magis quàm, inſula exuſta, teneretur locator conductori. Sed an ex locato teneretur conductor, vt pro rata temporis, quo fruitus eſt, penſionem præſtet; Marcellus quærit, quemadmodum præſtaret, ſi fructuarij ſerui operas conduxiſſet, vel habitationem. & magis admittit, teneri eum. & eſt æquiſsimum. Idem quærit, ſi ſumptus fecit in fundum, quaſi quinquennio fruiturus; an recipiat. & ait, non recepturum: quia hoc euenire poſſe, proſpicere debuit. Quid tamen, ſi non quaſi fructuarius ei locauit, ſed ſi quaſi fundi dominus, videlicet tenebitur. decepit enim conductorem & ita Imperator Antoninus cum Diuo Seuero reſcripſit. In exuſtis quoque ædibus eius temporis, quo ædificium ſtetit, mercedem præſtandam reſcripſerunt. 2 ¶ Iulianus libro quintodecimo Digeſtorum dicit;

SI quis fundum locauerit, vt, etiam ſi quid vi maiori accidiſſet, hoc ei præſtaretur: pacto ſtandum eſſe. 3 ¶ Si colonis prædiorum, lege locationis, vt innocentem ignem habeant, denuntiatum ſit: ſi quidem fortuitus caſus incendij cauſam intulerit, non præſtabit periculum locator: ſi verò culpa locatoris, quam præſtare neceſſe eſt, damnum fecerit, tenebitur. 4 ¶ Imperator Antoninus cum patre, cùm grex eſſet abactus, quem quis conduxerat, ita reſcripſit: Si capras latrones citra tuam fraudem abegiſſe, probari poteſt: iudicio locati caſum præſtare non cogeris: atq; temporis, quod inſecutum eſt, mercedes, vt indebitas, reciperabis. 5 ¶ Celſus etiam imperitiam culpæ adnumerandam, libro octauo Digeſtorum ſcripſit. ſi quis vitulos paſcendos, vel ſarciendum quid, poliendúmve conduxit: culpam eum præſtare debere: & quod imperitia peccauit, culpam eſſe. quippe vt artifex (inquit) conduxit. 6 ¶ Si alienam domum mihi locaueris; eáq; mihi legata, vel donata ſit: non teneri me tibi ex locato ob penſionem. ſed de tempore præterito videamus; ſi quid ante legati diem, penſionis debetur. & puto, ſoluendum.

10. *Iulianus* libro ad Ferocem.

ET ego ex conducto rectè agam vel in hoc, vt me liberes.

11. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

VIdeamus, an & ſeruorum culpam, & quoſcumq; induxerit, præſtare conductor debeat: & quatenus præſtat, vtrùm vt ſeruos noxæ dedat, an verò ſuo nomine teneatur: & aduerſus eos, quos induxerit: vtrũ præſtabit tantum actiones, an quaſi ob propriã culpam tenebitur. mihi ita placet: vt culpam etiam eorum, quos induxit, præſtet ſuo nomine, etſi nihil cõuenit: ſi tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit, vel ſuos, vel hoſpites, & ita Pomponius libro ſexageſimotertio ad edictum probat.

1 ¶ Si hoc in locatione conuenit, *ignem ne habeto*; & habuit: tenebitur, etiam ſi fortuitus caſus admiſit incendium, quia non debuit ignem habere. aliud eſt enim, ignem innocentem habere: permittit enim habere, ſed innoxium ignem. 2 ¶ Item proſpicere debet cõductor, ne aliquo vel ius rei, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur. 3 ¶ Qui vinum de Cãpania tranſportandũ cõduxiſſet, deinde, mota à quodam controuerſia, ſignatum ſuo & alterius ſigillo in apothecam depoſuiſſet: ex locato tenetur, vt locatori poſſeſsionem vini ſine controuerſia (reddet:)

locati conducti.

ff.

niſi culpa conductor careret. 4 ¶ Inter conductorem & locatorem conuenerat, ne in villa vrbana fœnum componeretur. compoſuit. deinde ſeruus igne illato (ſe occidit.) ait Labeo, teneri conductorem ex locato: quia ipſe cauſam præbuit inferendo contra conductionem.

12. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

SEd etſi quilibet extraneus ignem iniecerit, damni locati habebitur ratio.

13. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

ITem quęritur, ſi ciſiarius, id eſt, carucharius, dum cæteros tranſire contendit, ciſium euertit, & ſeruũ quaſſauit, vel occidit. puto ex locato eſſe in eum actionem; temperare enim debuit. ſed & vtilis Aquilia ei dabitur. 1 ¶ Si nauicularius onus Minturnas vehendum conduxerit: &, cùm flumen Minturnenſe nauis ea ſubire non poſſet, in aliam nauem merces tranſtulerit; eaq; nauis in oſtio fluminis perierit: tenetur primus nauicularius: Labeo, ſi culpa caret, non teneri ait. cæterùm ſi vel inuito domino fecit: vel, quo non debuit, tempore: aut ſi minùs idoneæ naui: tunc ex locato agendum.

2 ¶ Si magiſter nauis, ſine gubernatore in flumen nauem immiſerit: &, tempeſtate orta, temperare non potuerit: & nauem perdiderit: vectores habebunt aduerſus eum ex locato actionem.

3 ¶ Si quis ſeruum docendum conduxerit, eúmq; duxerit peregrè, & aut ab hoſtibus captus ſit, aut perierit: ex locato eſſe actionem placuit: ſi modò non ſic conduxit, vt & peregrè duceret.

4 ¶ Item Iulianus libro octageſimoſexto Digeſtorum ſcripſit: ſi ſutor puero parum benè facienti forma calcei tam vehementer ceruicem percuſſerit, vt ei oculus effunderetur: ex locato eſſe actionẽ patri eius. quamuis enim magiſtris leuis caſtigatio conceſſa ſit: tamen hunc modum non tenuiſſe. ſed & de Aquilia ſuprà diximus. iniuriarum autem actionem competere. Iulianus negat: quia nõ iniuriæ faciendæ cauſa hoc fecerit, ſed præcipiendi.

5 ¶ Si gemma includenda, aut inſculpenda data ſit: eaq; fracta ſit; ſi quidem vitio materiæ factũ ſit, non erit ex locato actio: ſi imperitia facientis, erit. huic ſententiæ addendum eſt, niſi periculũ quoq; in ſe artifex receperat: tunc enim: etſi vitio materiæ id euenit, erit ex locato actio.

6 ¶ Si fullo veſtimenta polienda acceperit, eaq; mures roſerint: ex locato tenetur: quia debuit ab hac re cauere. & ſi pallium fullo permutauerit, & alij alterius dederit, ex locato actione tenebitur, etiam ſi ignarus fecerit.

7 ¶ Exercitu veniente, migrauit conductor: deinde hoſpitio milites feneſtras, & cętera ſuſtulerunt. ſi domino non denuntiauit, & migrauit, ex locato tenebitur. Labeo autem, ſi reſiſtere potuit, & non reſiſtit, teneri ait. quæ ſententia vera eſt. ſed & ſi denuntiare non potuit, non puto eum teneri.

8 ¶ Si quis menſuras conduxerit, eáſq; magiſtratus frangi iuſſerit: ſi quidem iniquæ fuerunt, Sabinus diſtinguit, vtrùm ſit conductor, an non: ſi ſcit, eſſe ex locato actionem: ſi minùs, non, quòd ſi æquæ ſunt: ita demum eum teneri, ſi culpa eius id fecit ædilis; & ita Labeo, & Mela ſcribunt.

9 ¶ Duo rei locationis in ſolidum eſſe poſſunt.

10 ¶ Si lege operis locandi comprehenſum eſſet, vt, ſi ad diem effectum non eſſet, relocare id liceret: non aliàs prior conductor ex locato tenebitur, quàm ſi eadem lege relocatum eſſet: nec antè relocari id poteſt, quàm dies efficiendi præteriſſet.

11 ¶ Qui impleto tempore conductionis, remanſit in conductione, non ſolùm reconduxiſſe videbitur, ſed etiam pignora videntur durare obligata. ſed hoc ita verum eſt, ſi non alius prò eo in priore conductione res obligauerat: huius enim nouus conſenſus erit neceſſarius. Eadem cauſa erit, & ſi reipublicæ prædia locata fuerint. Quod autem diximus taciturnitate vtriuſq; partis colonum reconduxiſſe videri, ita accipiendum eſt: vt in ipſo anno, tacuerũt, videantur eandem locationem renouaſſe, non etiam in ſequentibus annis: & ſi luſtrũ forte ab initio fuerat conductioni præſtitutum. ſed & ſi ſecundo quoq; anno, poſt finitum luſtrum; nihil fuerit contrarium actum: eandem videri locationem in illo anno permanſiſſe. hoc enim ipſe, quo tacuerunt, cõſenſiſſe videntur. & hoc deinceps in vnoquoq; anno obſeruandum eſt. In vrbanis autem prędiis alio iure vtimur: vt, prout quiſq; habitauerit, ita & obligetur: niſi in ſcriptis certum tempus conductioni comprehenſum eſt.

14. *Idem* libro 71. ad Edictum.

QVi ad certum tempus conducit: finito quoquè tempore colonus eſt. intellegitur enim dominus, cùm patitur colonum in fundo eſſe, ex integro locare, & huiuſmodi contractus neq; verba, neque ſcripturam vtiq; deſiderant, ſed nudo conſenſu conualeſcunt. & ideo ſi interim dominus furere cœperit, vel deceſſerit: fieri non poſſe, Marcellus ait, vt locatio redintegretur, & eſt hoc verum.

15. *Idem* libro 32. ad Edictum.

EX conducto actio conductori datur. 1 ¶ Competit autem ex his cauſis ferè: vtputa ſi re, quam cõduxit, frui ei non liceat: forte quia poſſeſſio ei aut totius agri, aut partis non præſtatur: aut villa non reficitur, vel ſtabulũ, vel vbi greges eius ſtare oportea: vel, ſi quid in lege conductionis conuenit, ſi hoc non præſtatur, ex conducto agetur. 2 ¶ Si vis tempeſtatis calamitoſæ contigerit: an locator conductori aliquid præſtare debeat, videamus. Seruius omnem vim, cui reſiſti non poteſt: dominũ colono præſtare debere ait: vtputa fluminũ, graculorũ, ſturnorũ: & ſi quid ſimile acciderit: aut ſi incurſus hoſtium fiat; ſi qua tamen vitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe: veluti ſi vinũ coacuerit: ſi raucis, aut herbis ſegetes corruptæ ſint; ſed & ſi labes facta ſit: omnẽque fructũ tulerit: damnũ coloni non eſſe: ne ſupra damnũ ſeminis amiſſi mercedes agri præſtare cogatur, ſed & ſi vredo fructum oleæ corruperit, aut ſolis feruore non adſueto id acciderit: damnũ domini futurũ. ſi vero nihil extra conſuetudinem acciderit, damnũ coloni eſſe. idemq; dicendum, ſi exercitus prætereuns per laſciuiam aliquid abſtulit: ſed & ſi ager terræ motu ita corruerit, vt nuſquam ſit, damno domini eſſe: oportere enim agrũ præſtari conductori, vt frui poſſit. 3 ¶ Cùm quidam incendiũ fundi allegaret, & remiſſionem deſideraret: ita ei reſcriptũ eſt: Si prædium coluiſti, propter caſum incendij repentini, non immeritò ſubueniendum tibi eſt.

4 ¶ Papinianus libro quarto reſponſorũ ait.

SI vno anno remiſſionem quis colono dederit ob ſterilitatem, deinde ſequentibus annis contigit vbertas: nihil obeſſe domino remiſſionem: ſed integram penſionem etiam eius anni, quo remiſit, exigendam. hoc idem & in vectigalis damno reſpondit. Sed & ſi verbo donationis dominus ob ſterilitatem anni remiſerit: idem erit dicendũ: quaſi non ſit donatio, ſed tranſactio. Quid tamen, ſi nouiſſimus erat annus ſterilis, in quo ei remiſerit? verius dicetur, etſi ſuperiores vberes fuerũt, & ſcit locator, non debere eũ ad computationem vocari. 5 ¶ Cùm quidam de fructuũ exiguitate quereretur: non eſſe rationẽ eius habendam, reſcripto Diui Antonini continetur. Item alio reſcripto continetur: Nouam rem deſideras, vt propter vetuſtatem vinearũ remiſſio tibi detur. 6 ¶ Item cùm quidam, naue amiſſa, vecturam, quam pro mutua acceperat, repeteretur: reſcriptũ eſt ab Antonino Auguſto: nõ immeritò procuratorem



torem Cæſaris ab eo vecturam repetere, cùm munere vehendi functus non ſit. quod in omnibus perſonis ſimiliter obſeruandum eſt. 7 ¶ Vbicumque tamen remiſſionis ratio habetur ex cauſis ſuprà relatis: non id, quod ſua intereſt, conductor conſequitur, ſed mercedis exonerationem pro rata. ſuprà deniq; damnum ſeminis ad colonum (pertinere) declaratur. 8 ¶ Planè ſi fortè dominus frui non patiatur, vel cùm ipſe locaſſet, vel cùm alius alienum, vel quaſi procurator, vel quaſi ſuum: quod intereſt, præſtabitur. & ita Proculus in procuratore reſpondit. 9 ¶ Interdum ad hoc ex locato agetur, vt quis locatione liberetur, Iulianus libro quintodecimo Digeſtorum ſcribſit: vtputa Titio fundum locaui: iſque, pupillo hęrede inſtituto, deceſſit: &, cùm tutor conſtituiſſet abſtinere pupillum hęreditate, ego fundum pluris locaui: deinde pupillus reſtitutus eſt in bona paterna. ex conducto nihil amplius eum conſecuturum, quàm vt locatione liberetur. mihi enim iuſta cauſa fuit locandi.

16. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

CVm eo tempore in pupillum actiones nullæ darentur.

17. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

TVtelæ tamen cum tutore iudicio (inquit) aget, ſi abſtinere non debuit.

18. *Iulianus* libro 15. Digeſtorum.

IN quo inerit etiam hoc, quod ex conductione fundi lucrum facere potuit.

19. *Vlpianus* libro 29. ad Edictum.

SEd addes hoc Iuliani ſententiæ; vt, ſi colluſi ego cum tutore, ex conducto tenear in id, quod pupilli interfuit. 1 ¶ Si quis dolia vitioſa ignarus locauerit, deinde vinum effluxerit: tenebitur in id, quod intereſt, nec ignorantia eius erit excuſata. & ita Caſſius ſcripſit. aliter atq; ſi ſaltum paſcuum locaſti, in quo herba mala naſcebatur. hîc enim ſi pecora vel demortua ſunt, vel etiam deteriora facta; quod intereſt pręſtabitur, ſi ſciſti: ſi ignoraſti, penſionem non petes. & ita Seruio, Labeoni, Sabino placuit.

2 ¶ Illud nobis videndum eſt, ſi quis fundum locauerit, quæ ſoleat inſtrumenti nomine conductori præſtare, quæque ſi non præſtet, ex locato tenetur. & eſt epiſtula Neratij ad Ariſtonem, dolia vtiq; colono eſſe præſtanda, & prælum & trapetum inſtructa funibus. ſi minùs, dominum inſtruere ea debere. ſed & prælum vitiatum, dominum reficere debere. quod ſi culpa coloni quid eorum corruptum ſit, ex locato eum teneri. fiſcos autem, quibus ad premendam oleam vtimur, colonum ſibi parare debere, Neratius ſcripſit. quòd ſi regulis olea prematur: & prælum, & ſuculam, & regulas, & tympanum, & trocleas, quibus releuatur prælum, dominum parare oportere. item aënum, in quo olea calda aquâ lauatur, vt cetera vaſa olearia, dominum præſtare oportere, ſicuti dolia vinaria: quæ ad pręſentem vſum colonum picare oportebit. hęc omnia ſic ſunt accipienda, niſi ſi quid aliud ſpecialiter actum ſit.

3 ¶ Si dominus exceperit in locatione, vt frumenti certum modum certo pretio acciperet, & dominus nolit frumentum accipere, neq; pecuniam ex mercede deducere. poteſt quidem totam ſummam ex locato petere: ſed vtiq; conſequens eſt exiſtimare, officio iudicis hoc conuenire, habere rationem, quãto conductoris intererat, in frumento potiùs, quàm in pecunia ſoluere penſionis exceptam portionem. ſimili modo, & ſi ex conducto agatur, idem erit dicendum. 4 ¶ Si inquilinus oſtium, vel quædam alia ædificio adiecerit: quæ actio locum habeat? & eſt verius, quod Labeo ſcripſit, competere ex conducto actionem, vt ei tollere liceat, ſic tamen, vt damni infecti caueat, ne in aliquo, dum aufert, deteriorem cauſam ædium faciat: ſed vt priſtinam faciem ædibus reddat. 5 ¶ Si inquilinus arcam æratam in ædes contulerit, & ædium aditum coanguſtauerit dominus; verius eſt, ex conducto eum teneri, & ad exhibendum actione: ſiue ſcit, ſiue ignorauerit. officio enim iudicis continetur, vt cogat eum, aditum, & facultatem inquilino præſtare ad arcam tollendam, ſumptibus ſcilicet locatoris. 6 ¶ Si quis, cùm in annum habitationem conduxiſſet, penſionem totius anni dederit, deinde inſula poſt ſex menſes ruerit, vel incendio conſumpta ſit: penſionem reſidui temporis, rectiſsimè Mela ſcripſit, ex conducto actione repetiturum: non quaſi indebitum condicturum. non enim per errorem dedit, plus, ſed vt ſibi in cauſam conductionis proficeret. aliter atq; ſi quis, cùm decem conduxiſſet, quindecim ſoluerit. hic enim, ſi per errorem ſoluit, dum putat ſe quindecim conduxiſſe, actionem ex conducto non habebit, ſed ſolam condictionem. nam inter eum, qui per errorem ſoluit, & eum, qui penſionem integram prorogauit, multum intereſt. 7 ¶ Si quis mulierem vehendam naui conduxiſſet, deinde in naui infans natus fuiſſet: probandum eſt, pro infante nihil deberi: cùm neq; vectura eius magna ſit, neque his omnibus vtatur, quæ ad nauigantium vſum parantur. 8 ¶ Ex conducto actionem etiam ad hęredem tranſire, palam eſt. 9 ¶ Cùm quidam exceptor operas ſuas locaſſet, deinde is, qui eas conduxerat, deceſſiſſet; Imperator Antoninus cum Diuo Seuero reſcripſit ad libellum exceptoris in hæc verba: Cùm per te non ſteriſſe proponas, quo minùs locatas operas Antonio Aquilæ ſolueres: ſi eodem anno mercedes ab alio non accepiſti: fidem contractus impleri, æquum eſt.

10 ¶ Papinianus quoque libro quarto reſponſorum ſcripſit.

DIem functo legato Cæſaris, ſalarium comitibus reſidui temporis præſtandum: modò ſi non poſtea comites cum aliis eodem tempore fuerunt.

20. *Paulus* libro 34. ad Edictum.

SIcut emptio, ita & locatio ſub conditione fieri poteſt. 1 ¶ Sed donationis cauſa contrahi non poteſt. 2 ¶ Interdum locator non obligatur, conductor obligatur. veluti cùm emptor fundum conducit, donec pretium ei ſoluat.

21. *Iauolenus* libro 11. Epiſtularum.

CVm venderem fundum, conuenit, vt, donec pecunia omnis perſolueretur, certa mercede emptor fundum conductum haberet. an, ſoluta pecunia, merces accepta fieri debeat? reſpondit; Bona fides exigit, vt quod conuenit, fiat. ſed non amplius præſtat is venditori, quàm pro portione eius temporis, quo pecunia numerata non eſſet.

22. *Paulus* libro 34. ad Edictum.

ITem ſi, pretio non ſoluto, inempta res facta ſit. tũc ex locato erit actio. 1 ¶ Quotiens autem faciendum aliquid datur, locatio eſt. 2 ¶ Cùm inſulam ædificandam loco, vt ſua impenſa conductor omnia faciat: proprietatem quidem eorum ad me transfert, & tamen locatio eſt. locat enim artifex operam ſuã, id eſt, faciendi neceſsitatem. 3 ¶ Quemadmodum in emendo & vendendo, naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere; quod minoris ſit, pluris vendere, & ita inuicem ſe circumſcribere: ita in locationibus quoque & condictionibus iuris eſt.

23. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

ET ideo, prætextu minoris penſionis, locatione facta, ſi nullus dolus aduerſarij probari poſsit, reſcindi locatio non poteſt.

24. *Paulus* libro 34. ad Edictum.

SI in lege locationis comprehenſum ſit, vt ar-

bitratu domini opus adprobetur: perinde habetur, ac ſi viri boni arbitrium comprehenſum fuiſſet. idémque ſeruatur, ſi alterius cuiuslibet arbitrium comprehenſum ſit. nam fides bona exigit, vt arbitrium tale præſtetur, quale viro bono conuenit. idq; arbitrium ad qualitatem operis, non ad prorogandum tempus, quod lege finitum ſit, pertinet: niſi idipſum lege comprehenſum ſit. quibus conſequens eſt, vt irrita ſit adprobatio dolo conductoris facta, vt ex locato agi poſsit. 1 ¶ Si colonus locauerit fundum: res poſterioris conductoris domino non obligantur: ſed fructus in cauſa pignoris manent, quemadmodum eſſent, ſi primus colonus eos percepiſſet.

2 ¶ Si domus, vel fundus, in quinquennium penſionibus locatus ſit: poteſt dominus, ſi deſeruerit habitationem vel fundi culturam colonus, vel inquilinus, cum eis ſtatim agere. 3 ¶ Sed & de his, quæ præſenti die prſtare debuerunt; (velut opus aliquod efficerent, propagationes facerent) agere ſimiliter poteſt. 4 ¶ Colonus, ſi ei frui non liceat, totius quinquennij nomine ſtatim rectè aget: etſi reliquis annis dominus fundi frui patiatur. nec enim ſemper liberabitur dominus; eo quòd ſecundo, vel tertio anno patietur, fundo frui. nam & qui expulſus à conductione, in aliam ſe coloniam contulit, non ſuffecturus duabus, neque ipſe penſionum nomine obligatus erit, & quantum per ſingulos annos compendij facturus erat, conſequetur. ſera eſt enim patientia fruendi, quæ offertur eo tempore, quo frui colonus, aliis rebus illigatus non poteſt, quòd ſi paucis diebus prohibuit, deinde pœnitentiam agit, omniáque colono in integro ſunt: nihil ex obligatione, paucorum dierum mora minuet. Item vtiliter ex conducto agit is, cui ſecundùm conuentionem non præſtantur, quæ conuenerant: ſiue prohibeatur frui à domino, vel ab extraneo, quem dominus prohibere poteſt. 5 ¶ Qui in plures annos fundum locauerat, teſtamento ſuo damnauit hæredem, vt conductorem liberaret. ſi non patiatur hæres, eum reliquo tempore frui: eſt ex conducto actio. quòd ſi patiatur nec mercedes remittat: ex teſtamento tenetur.

25. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

SI merces promiſſa ſit generaliter alieno arbitrio, locatio & conductio contrahi non videtur. ſin autem, quanti Titius æſtimauerit: ſub hac condicione ſtare locationem, vt ſi quidem ipſe, qui nominatus eſt, mercedem definierit, omnimodo, ſecundùm eius æſtimationem, & mercedem perſolui oporteat, & conductionem ad effectum peruenire: ſin autem ille vel noluerit, vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nihilo eſſe conductionem, quaſi nulla mercede ſtatuta. 1 ¶ Qui fundum fruendum, vel habitationem alicui locauit: ſi aliqua ex cauſa fundum vel ædes vendat, curare debet, vt apud emptorem quoq; eadem pactione & colono frui, & inquilino habitare liceat, alioquin prohibitus is aget cum eo ex conducto. 2 ¶ Si, vicino ædificante, obſcurentur lumina cœnaculi: teneri locatorem inquilino. certè quin liceat colono, vel inquilino relinquere conductionem, nulla dubitatio eſt: de mercedibus quoq; ſi cum eo agatur, reputationis ratio habenda eſt. Eadem intellegemus, ſi oſtia feneſtráſve nimiũ corruptas locator non reſtituat. 3 ¶ Conductor omnia ſecundùm legem conductionis facere debet. & ante omnia colonus curare debet, vt opera ruſtica ſuo quoque tempore faciat: ne intempeſtiua cultura deteriorem fundum faceret. præterea villarum curam agere debet, vt eas incorruptas habeat.

4 ¶ Culpæ autem ipſius & illud adnumeratur, ſi propter inimicitias eius vicinus arbores exciderit. 5 ¶ Ipſe quoque ſi exciderit, non ſolùm ex locato tenetur, ſed etiam lege Aquilia, & ex lege duodecim tabularum arborum furtim cæſarum, & interdicto *Quod vi aut clam*. ſed vtiq; iudicio, qui ex locato iudicat, officio continetur, vt cæteras actiones locator omittat. 6 ¶ Vis maior quam Græci θεοῦ βίαν, id eſt, *vim diuinam*, appellant, non debet conductori damnoſa eſſe, ſi plus, quàm tolerabile eſt, læſi fuerint fructus. alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrũ non aufertur. apparet autem, de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit. alioquin partiarius colonus, quaſi ſocietatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur.

7 ¶ Qui columnam tranſportandam conduxit, ſi ea dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta ſit, ita id periculum præſtat, ſi qua ipſius, eorúmque, quorum opera vteretur, culpa acciderit. culpâ autem abeſt, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſsimus quiſq; obſeruaturus fuiſſet. Idem ſcilicet intellegemus, & ſi dolia, vel tignum tranſportandum aliquis conduxerit. Idémque etiam ad cæteras res transferri poteſt. 8 ¶ Si fullo, aut ſarcinator veſtimenta perdiderit, eóque nomine domino ſatisfecerit: neceſſe eſt domino, vindicationem eorum, & condictionem cedere.

26. *Vlpianus* libro 2. Diſputationum.

IN operis, duobus ſimul locatis, conuenit priori conductori antè ſatisfieri.

27. *Alfenus* libro 2. Digeſtorum.

HAbitatores non, ſi paulò minùs commodè aliqua parte cœnaculi vterentur, ſtatim deductionem ex mercede facere oportet. ea enim condicione habitatorem eſſe, vt, ſi quid tranſuerſarium incidiſſet, quamobrem dominum aliquid demoliri oporteret, aliquam partem paruolam incommodi ſuſtineret, non ita tamen, vt eam partem cœnaculi dominus aperuiſſet, in quam magnam partem vſus habitator haberet. 1 ¶ Iterum interrogatus eſt, ſi quis timoris cauſa emigraſſet, deberet mercedem, nécne. reſpondit: ſi cauſa fuiſſet, cur periculum timeret, quamuis periculum verè non fuiſſet, tamen non debere mercedem: ſed ſi cauſa timoris iuſta non fuiſſet, nihilo minus debere.

28. *Labeo* libro 4. Poſteriorum Epitomatorum Iauoleno.

QVòd ſi domi habitatione conductor æquè vſus fuiſſet, præſtaturum. 1 ¶ Etiam eius domus mercedem, quæ vitium feciſſet, deberi putat.

2 ¶ Idem iuris eſſe, ſi poteſtatem conducendi habebat, vti pretium conductionis præſtaret. ſed ſi locator conductori poteſtatem conducendæ domus non feciſſet, & is, in qua habitaret, conduxiſſet: tantum ei præſtandum putat quantum ſine dolo malo præſtitiſſet. ceterum, ſi gratuitam habitationem habuiſſet, pro portione temporis ex locatione domus deducendum eſſe.

29. *Alfenus* libro 7. Digeſtorum.

IN lege locationis ſcriptum erat: *Redemptor ſiluam ne cædito, néve cingito, néve deurito, néve quem cingere, cædere, vrere ſinito.* quærebatur, vtrum redemptor, ſi quem quid earum rerum facere vidiſſet, prohibere deberet, an etiam ita ſiluam cuſtodire, ne quis id facere poſsit. reſpondi, verbum *Sinere* vtramque habere ſignificationem: ſed locatorem potiùs id videri voluiſſe, vt redemptor non ſolùm, ſi quem caſu vidiſſet ſiluam cædere, prohiberet, ſed vti curaret, & daret operam, ne quis cæderet.

30. *Idem* libro 3. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

QVi inſulam triginta conduxerat, ſingula cœnacula ita (conduxit,) vt quadraginta ex omnibus colligerentur. dominus inſulæ, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam. quæſitum



quæſitum eſt, quanti lis æſtimari deberet, ſi is, qui totam conduxerat, ex conducto ageret. reſpondit: ſi vitiatum ædificium neceſſario demolitus eſſet, pro portione, quanti dominus prædiorum locaſſet, quòd eius temporis habitatores habitare non potuiſſent, rationem duci, & tanti litem æſtimari: ſin autem non fuiſſet neceſſe demoliri; ſed, quia melius ædificare vellet, id feciſſet, quanti conductoris intereſſet, habitatores ne migrarent, tãti condemnari oportere.

1 ¶ AEdilis in municipio balneas conduxerat, vt eo anno municipes gratis lauarentur. poſt tres menſes incendio facto, reſpondit poſſe agi cum balneatore ex conducto, vt proportione temporis, quo lauationem non præſtitiſſet, pecuniæ contributio fieret.

2 ¶ Qui mulas ad certum pondus oneris locaret, cum maiore onere conductor eas rupiſſet, conſulebat de actione. reſpondit, vel lege Aquilia, vel ex locato recte eum agere: ſed lege Aquilia tantùm cum eo agi poſſe, qui tum mulas agitaſſet: ex locato, etiam ſi alius eas rupiſſet, cum conductore recte agi.

3 ¶ Qui ædem faciendam locauerat, in lege dixerat: *Quoad in opus lapidis opus erit: pro lapide, & manu pretij dominus redemptori in pedes ſingulos ſeptem dabit.* quæſitum eſt, vtrum factum opus, an etiam imperfectum metiri oporteret. reſpondit, etiam imperfectum. 4 ¶ Colonus villam hac lege acceperat, vt incorruptam redderet, præter vim & vetuſtatem, coloni ſeruus villam incendit non fortuito caſu. non videri eam vim exceptam reſpondit: nec id pactum eſſe, vt, ſi aliquis domeſticus eam incendiſſet, ne præſtaret: ſed extrariam vim vtroſque excipere voluiſſe.

31. *Idem* libro 5. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

IN nauem Saufeij cùm complures frumentum cõfuderant, Saufeius vni ex his frumentum reddiderat de communi, & nauis perierat. quæſitum eſt, an ceteri pro ſua parte frumenti cum nauta agere poſſunt oneris auerſi actione. reſpondit, rerũ locatarum duo genera eſſe: vt aut idem redderetur; ſicuti cùm veſtimenta fulloni curanda locarentur, aut eiuſdem generis redderetur; veluti cùm argentum puſulatum fabro daretur, vt vaſa fierent, aut aurum, vt annulli. ex ſuperiore cauſa rem domini manere. ex poſteriore id creditum iri. idem iuris eſſe in depoſito. nã ſi quis pecuniã numeratã ita depoſuiſſet, vt neque cluſam neq. obſignatã traderet, ſed adnumeraret: nihil aliud eũ debere, apud quem depoſita eſſet: niſi tantundem pecuniæ ſolueret. ſecundum quæ videri triticum factum Saufeij, & recte datum. quod ſi ſeparatim tabulis, aut heronibus, aut in alia culpa cluſum vniuſcuiuſque triticum fuiſſet, ita vt internoſci poſſet, quod cuiuſque eſſet, non potuiſſe nos permutationem facere: ſed tum poſſe eum, cuius fuiſſet triticum, quod nauta ſoluiſſet, vindicare. & ideo ſe improbare actiones oneris auerſi: quia ſiue eius generis eſſent merces, quæ nautæ traderentur, vt continuo eius fierent, & mercator in creditum iret, non videretur onus eſſe auerſum, quippe quod nautæ fuiſſet: ſiue eadem res, quæ tradita eſſet, reddi deberet, furti eſſe actionem locatori, & ideo ſuperuacuum eſſe iudicium oneris auerſi. Sed ſi ita datum eſſet, vt in ſimili re ſolui poſſit, conductorem culpam dumtaxat debere. nam in re, quæ vtriuſque cauſa contraheretur, culpam deberi, neque omnimodo culpam eſſe, quod vni reddidiſſet ex frumento: quoniam alicui primum reddere eũ neceſſe fuiſſet, tametſi meliorem eius condictionem faceret, quàm ceterorum.

32. *Iulianus* libro 4. ex Minicio.

QVi fundum colendum in plures annos locauerat, deceſſit: & eum fundum legauit. Caſsius negauit poſſe cogi colonũ, vt eum fundũ coleret: quia nihil heredis intereſſet. quod ſi colonus vellet colere, & ab eo, cui legatus eſſet fundus, prohiberetur: cum herede actionem colonum habere: & hoc detrimentum ad heredem pertinere ſicuti ſi quis rem, quam vendidiſſet, nec dum tradidiſſet, alij legaſſet: heres eius, emptori, & legatario eſſet obligatus.

33. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

SI fundus, quem mihi locaueris, publicatus ſit: teneri te actione ex conducto, vt mihi frui liceat: quamuis per te non ſtet, quo minus id præſtes, quemadmodum (inquit) ſi inſulam ædificandam locaſſes, & ſolum corruiſſet: nihilominus teneberis. nam & ſi vendideris mihi fundum, iſque prius, quàm vacuus traderetur, publicatus fuerit, tenearis ex empto. quod hactenus verum erit, vt pretium reſtituas: non vt etiam id præſtes, ſi quid pluris mea interſit, eum vacuum mihi tradi. ſimiliter igitur & circa conductionem ſeruandum puto, vt mercedem, quam præſtiterim, reſtituas, eius ſcilicet temporis, quo fruitus non fuerim, nec vltrà actione ex conducto præſtare cogeris. nam & ſi colonus tuus fundo frui à te, aut ab eo prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, poſsis: tantum ei præſtabis, quanti eius interfuit frui, in quo etiam lucrum eius continebitur. ſin verò ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim maiorem, aut potentiam eius non poteris: nihil amplius ei, quàm mercedem, remittere, aut reddere debebis.

34. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

PErinde ac latronum incurſu id acciderit.

35. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

ET hæc diſtinctio conuenit illi; quæ à Seruio introducta, & ab omnibus fere probata eſt, vt ſi auerſione inſulam locatam dominus reficiendo, ne eã conductor frui poſsit, effecerit, animaduertatur; neceſſario, nec ne, id opus demolitus eſt. quid enim intereſt, vtrum locator inſulæ propter vetuſtatem cogatur eam reficere, an locator fundi cogatur ferre iniuriam eius, quem prohibere non poſsit? Intelligendum eſt autem; nos hac diſtinctione vti de eo, qui & ſuum prædium fruendum locauerit, & bona fide negotium contraxerit: nõ de eo, qui alienum prædium per fraudem locauerit, nec reſiſtere domino poſsit, quo minus is colonum frui prohibeat. 1 ¶ Cum fundum communem habuimus, & inter nos conuenit, vt alternis annis certo pretio eum conductum haberemus: tu, cùm tuus annus exiturus eſſet, conſulto fructum inſequentis anni corrupiſti. agam tecum duabus actionibus vna ex conducto, altera ex locato. locati enim iudicio mea pars propria, conducti autem actione tua dumtaxat propria in iudicium venſent. Deinde ita notat: Nõne, quod ad meam partem attinebit, communi diuidundo præſtabitur à te mihi damnum? recte quidem notat. ſed tamen etiam Seruij ſententiam veram eſſe puto: cum eo ſcilicet, vt cùm alterutra actione rem ſeruauerim; altera peremattur. Quod ipſum ſimplicius ita quæremus, ſi proponatur inter duos, qui ſingulos proprios fundos haberent, conueniſſe, vt alter alterius ita conductum haberent, vt fructus mercedis nomine penſaretur.

36. *Florentinus* libro 7. Inſtitutionum.

OPus, quod auerſione locatum eſt, donec adprobetur, conductoris periculum eſt: quod vero ita conductum ſit, vt in pedes, menſuráſue præſtetur: eatenus conductoris periculo eſt, quatenus admenſum non ſit: & in vtraque cauſa nociturum locatori; ſi per eum ſteterit, quo minus opus adprobetur, vel admetiatur. ſi tamen

vi maiore opus prius interciderit, quàm adprobaretur, locatoris periculo eſt: niſi ſi aliud actum ſit. non enim amplius præſtari locator, oporteat, quàm quod ſua cura, atque opera conſecutus eſſet.

37. *Iauolenus* libro 8. ex Caſſio.

SI priùs, quàm locatori opus probaretur, vi aliqua conſumptum eſt: detrimentum ad locatorem ita pertinet, ſi tale opus fuit, vt probari debet.

38. *Paulus* libro ſingulari Regularum.

QVi operas ſuas locauit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſteterit, quo minùs operas præſtet.

1 ¶ Aduocati quoque, ſi per eos non ſteterit, quo minùs cauſam agant, honoraria reddere non debent.

39. *Vlpianus* libro 2. ad Edictum.

NOn ſolét locatio dominium mutare.

[4]1. *Gaius* libro 5. ad Edictum Prouinciale.

QVi mercedem accipit pro cuſtodia alicuius rei, is huius periculum cuſtodiæ præſtat.

41. *Vlpianus* libro 5. ad Edictum.

SEd de damno alio dato agi cum eo non poſſe, Iulianus ait. qua enim cuſtodia conſequi potuit, ne damnum iniuria ab alio dari poſsit? ſed Marcellus interdum eſſe poſſe, ait: ſiue cuſtodiri potuit, ne damnum daretur, ſiue ipſe cuſtos damnum dedit. quæ ſententia Marcelli probanda eſt.

42. *Paulus* libro 13. ad Edictum.

SI locatum tibi ſeruum ſubripias: vtrumque iudicium aduerſus te eſt exercendum, locati actionis, & furti.

43. *Idem* libro 21. ad Edictum.

SI vulneraueris ſeruum tibi locatum, eiuſdem vulneris nomine, legis Aquiliæ, & ex locato actio eſt. ſed alterutra contentus actor eſſe debet. idque officio Iudicis continetur, apud quem ex locato agetur.

44. *Vlpianus* libro 7. ad Edictum.

LOcare ſeruitutem nemo poteſt.

45. *Paulus* libro 22. ad Edictum.

SI domum tibi locauero, & ſerui mei tibi damnũ dederint, vel furtum fecerint: non tenent tibi ex conducto, ſed noxali actione.

1 ¶ Si hominem tibi locauero, vt habeas in taberna, & is furtum fecerit: dubitari poteſt, vtrùm ex cõducto actio ſufficiat, quaſi longè ſit à bona fide actum, vt quid patiaris detrimenti per eam rem, quã conduxiſti, an adhuc dicendum ſit, extra cauſam cõductionis eſſe furti crimen, & in propriam perſecutionem cadere hoc delictum. quod magis eſt.

46. *Vlpianus* libro 69. ad Edictum.

SI quis conduxerit nummo vno, conductio nulla eſt: quia & hoc donationis inſtar inducit.

47. *Marcellus* libro 6. Digeſtorum.

CVm apparebit, emptorem conductorémve pluribus vendentem, vel locantem, ſingulorum in ſolidum intuitum perſonam: ita demum ad præſtationem partis ſinguli ſunt compellendi, ſi conſtabit eſſe omnes ſoluẽdo. quanquàm fortaſſe iuſtius ſit, etiã ſi ſoluendo omnes erunt, electionem conueniendi, quẽ velit, non auferendam âctori, ſi actiones ſuas aduerſus ceteros præſtare non recuſet.

48. *Idem* libro 8. Digeſtorum.

SI cui locauerim faciendum, quod ego conduxeram: conſtabit, habere me ex locato actionem.

1 ¶ Qui ſeruum conductum, vel aliam rem non immobilem non reſtituit: quanti in litem iuratum fuerit, damnabitur.

49. *Modeſtinus* libro 6. Excuſationum.

OI' ἐπίτροποι γενόμενοι ἢ κουράτορες, πρὶν ἐκτίσαι τὰ τῆς κηδεμονίας, μισθοῦσθαι Καίσαρος γεωργεῖν κωλύονται. κἂν τις ἀποκρυψάμενος τοῦτο, προσέλθῃ τῇ μισθώσει τῶν τοῦ Καίσαρος χωρίων, ὡς παραπλήσιος κολάζεται. τοῦτο ἐκέλευσεν ὁ αὐτοκράτωρ Σεβῆρος. 1 ¶ Κατὰ ταῦτα δὲ καὶ χειρίζοντες ἐπιτροπὰς ἢ κουρατορίας, εἰσὶ κεκωλυμένοι μισθοῦσθαι καὶ παρὰ τοῦ ταμιείου χωρία. id eſt,

TVtores, curatorésue conſtituti, priùs quàm officij ſui rationes reddant, prohibentur, ne quid de patrimonio Cæſaris conducium habeant. ac ſi quis, id diſſimulans: nihilominùs ad conducenda Cæſaris prædia acceſſerit: proinde vt falſarius, pœna afficitur. hócque ſanxit imperator Seuerus. ¶ Secundùm quæ ſanè prohibiti erunt & à fiſco conducere, qui tutelam, curámve gerunt.

50. *Idem* libro decimo Pandectarum.

SI ignorans quis militi quaſi pagano locauerit: exigere illum poſſe, probandum eſt. non enim contemnit diſciplinam qui ignorauit militem.

51. *Iauolenus* libro 11. Epiſtularum.

EA lege fundum locaui, vt, ſi non ex lege coleretur, relocare eum mihi liceret, & quo minoris locaſſem, hoc mihi præſtaretur. nec conuenit, vt, ſi pluris locaſſem, hoc tibi præſtaretur. & cùm nemo fundum colebat, pluris tamen locaui. quæro, an hoc ipſum præſtare debeam. reſpondit: In huiuſmodi obligationibus id maximè ſpectare debemus, quod inter vtranque partem conuenit. videtur autem in hac ſpecie id ſilentio conueniſſe, ne quid præſtaretur, ſi ampliore pecunia fundus eſſet locatus: id eſt, vt hæc ex conuentione pro locatore tantummodo interponeretur.

1 ¶ Locaui opus faciendum, ita vt pro opere redemptori certam mercedem in dies ſingulos darem, opus vitioſum factũ eſt. an ex locato agere poſsim? reſpondit: Si ita opus locaſti, vt bonitas eius tibi à conductore adprobaretur: tametſi conuenit, vt in ſingulas operas certa pecunia daretur: præſtari tamen tibi à conductore debet, ſi id opus vitioſum factum eſt. non enim quicquam intereſt, vtrùm vno pretio opus, an in ſingulas operas collocatur: ſi modo vniuerſitas conſummationis ad conductorem pertinuit. poterit itaque ex locato cum eo agi, qui vitioſum opus fecerit. niſi ſi ideo in operas ſingulas merces conſtituta erit, vt arbitrio domini opus efficeretur, tum enim nihil conductor præſtare domino de bonitate operis videtur.

52. *Pomponius* libro 31. ad Quintum Mucium.

SI decem tibi locem fundum, tu autem exiſtimes quinque te conducere: nihil agitur. Sed & ſi ego minoris me locare ſenſero, vt pluris te conducere: vtique non pluris erit conductio, quàm quanti ego putaui.

53. *Papinianus* libro 11. Reſponſorum.

QVi fideiuſſor exſtitit apud mancipem pro colono publicorum prædiorum, quæ manceps ei colono locauit, reipublicæ non tenetur. ſed fructus in eadem cauſa pignoris manent.

54. *Paulus* libro 5. Reſponſorum.

QVæro, an fideiuſſor conductionis, etiam in vſuras, non illatarum penſionum nomine, teneatur: nec, proſint ei cõſtitutiones, quibus cauetur, eos qui pro aliis pecuniam exſoluunt, ſortis ſolummodo damnum agnoſcere oportere. Paulus reſpondit, ſi in omnem cauſam conductionis etiam fideiuſſor ſe obligauit, eum quoque, exemplo coloni, tardius illatarum per moram coloni penſionem præſtare debere vſuras. vſuræ enim in bonæ fidei iudiciis & ſi non tam ex obligatione proficiſcantur, quàm ex officio iudicis applicentur: tamen cùm fideiuſſor in omnem cauſam ſe applicuit, æquum videtur ipſum quoque agnoſcere onus vſurarum, ac ſi ita fideiuſſiſſet, *In quantum illum condemnari ex bona fide oportebit, tantum fide tua eſſe iubes?* vel ita, *indemnem Me præſtabis?*

1 ¶ Inter locatorem fundi, & conductorem cõuenit, ne intra tempora locationis Seius conductor de fundo inuitus repelleretur; &, ſi pulſatus eſſet, pœnam decem



decem præſtet Titius locator Seio conductori: vel Seius conductor Titio, ſi intra tempora locationis diſcedere vellet, æquè decem Titio locatori præſtare vellet. quod inuicem de ſe ſtipulati ſunt. quæro, cùm Seius conductor biennij continui penſionem non ſolueret, an ſine metu pœnæ expelli poſsit. Paulus reſpondit, quamuis nihil expreſſum ſit in ſtipulatione pœnali de ſolutione penſionum, tamen veriſimile eſſe, ita conueniſſe de non expellendo colono intra tempora præfinita, ſi penſionibus paruerit, &, vt oportet, coleret. & ideo ſi pœnam petere cœperit is, qui penſionibus ſatis non fecit, profuturam locatori doli exceptionem.

2 ¶ Paulus reſpondit: ſeruum, qui æſtimatus colonæ adſcriptus eſt, ad periculum colonæ pertinebit. & ideo æſtimationem huius defuncti ab herede colonæ præſtari oportere.

55. *Idem* libro 2. Sententiarum.

DOminus horreorum, effractis & compilatis horreis, non tenetur, niſi cuſtodiam eorum recepit. ſerui tamen eius, cum quo contractum eſt, propter ædificiorum notitiam in quæſtionem peti poſſunt.

1 ¶ In conducto fundo, ſi conductor ſua opera aliquid neceſſario vel vtiliter auxerit, vel ædificauerit, vel inſtituerit, cùm id non conueniſſet: ad recipienda ea, quæ impendit, ex conducto cum domino fundi experiri poteſt.

2 ¶ Qui contra legem conductionis fundum ante tempus ſine iuſta ac probabili cauſa deſeruerit, ad ſoluendas totius temporis penſiones ex conducto conueniri poteſt: quatenus locatori in id, quod eius intereſt, indemnitas ſeruetur.

56. *Idem* libro ſingulari de officio præfecti vigilum.

CVm domini horreorum, inſularúmque deſiderant, diu non apparentibus, nec eius temporis penſiones exſoluentibus, conductoribus, aperire, & ea, quæ ibi ſunt, deſcribere: à publicis perſonis, quorum intereſt, audiendi ſunt. tempus autem in huiuſmodi re biennij debet obſeruari.

57. *Iauolenus* libro nono ex Poſterioribus Labeonis.

QVi domum habebat, aream iniunctam ei domui vicino proximo locauerat. is vicinus cùm ædificaret in ſuo, terram in eam aream amplius, quàm fundamenta cæmenticia locatoris erant, congeſſit. & ea terra aſſiduis pluuiis inundata, ita pariete eius, qui locauerat, vmore præſtituto, madefacto, ædificia corruerunt: Labeo, ex locato tantummodo actionem eſſe, ait: quia non ipſa congeſtio, ſed vmor ex ea congeſtione poſtea damno fuerit: damni autem iniuriæ actio ob ea ipſa ſit, per quę non extrinſecus alia cauſa oblata, damno quis adfectus eſt. hoc probo.

58. *Labeo* libro 4. Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

INſulam vno pretio totam locaſti, & eam vendidiſti, ita vt emptori mercede inquilinorum accederent. quamuis eam conductor maiore pretio locaret, tamen id emptori accedit, quod tibi conductor debeat.

1 ¶ In operis locatione erat dictum, antequàm diem effici deberet: deinde, ſi ita factum non eſſet, quanti locatoris intereſſet, tantam pecuniam conductor promiſerat. eatenus eam obligationem contrahi puto, quatenus vir bonus de ſpatio temporis æſtimaſſet. quia id actum apparet eſſe, vt eo ſpatio abſolueretur, ſine quo fieri non poſsit.

2 ¶ Quidam in municipio balineum præſtandum annuis viginti nummis cõduxerat: & ad refectionem fornacis, fiſtularum, ſimiliúmque rerum, centum nummi vt præſtarentur ei, conuenerat. conductor cẽtum nummos petebat, ita ei deberi dico, ſi in earum rerum refectionem eam pecuniam impendi ſatiſdaret.

59. *Iauolenus* libro 5. Labeonis Poſteriorum.

MArcus domum faciendam à Flacco conduxerat. deinde operis parte effecta, terræ motu cõceſſum erat ædificium. Maſſurius Sabinus, ſi vi naturali, veluti terræ motu, hoc acciderit, Flacci eſſe periculum.

60. *Labeo* Poſteriorum libro 5. à Iauoleno Epitomatorum.

CVm in plures annos domus locata eſt: præſtare locator debet, vt non ſolùm habitare conductor ex Kalendis illis cuiuſque anni, ſed etiam locare habitatori, ſi velit, ſuo tẽpore poſsit. itaque ſi ea domus ex Kalendis Ianuariis fulta in Kalendis Iuniis permanſiſſet, ita vt nec habitare quiſquam, nec oſtendere alicui poſſet: nihil locatori conductorem præſtaturum. adeo vt nec cogi quidem poſſet, ex Kalendis Iuliis, refecta domum, habitare. niſi ſi paratus fuiſſet locator commodam domum ei ad habitandum dare.

1 ¶ Heredem coloni, quamuis colonus non eſt, nihilominùs domino poſsidere exiſtimo.

2 ¶ Veſtimenta tua fullo perdidit: & habes, vnde petas, nec repetere vis. agis nihilominùs ex locato cum fullone. ſed iudicem æſtimaturum, an poſsis aduerſus furem magis agere, & ab eo tuas res conſequi, fullonis videlicet ſumptibus. ſed ſi hoc tibi impoſsibile eſſe perſpexerit: tunc fullonem quidem tibi condemnabit: tuas autem actiones te ei præſtare compellet.

3 ¶ Lege dicta, domus faciẽda locata erat, ita vt probatio aut improbatio locatoris aut heredis eius eſſet. redemptor ex voluntate locatoris quædam in opere permutauerat. reſpondi, opus quidem ex lege dicta non videri factum: ſed, quoniam ex voluntate locatoris permutatum eſſet, redemptorem abſolui debere.

4 ¶ Mandaui tibi, vt excuteres, quanti villam ædificare velles. renunciaſti mihi, ducentorum impenſam excutere. certa mercede opus tibi locaui. poſtea comperi, non poſſe minoris trecẽtorum eam villam conſtare. data autem tibi erant centum. ex quibus cùm partem impendiſſes, vetui te opus facere. dixi, ſi opus facere perſeueraueris, ex locato tecum agere, vt pecuniæ mihi reliquum reſtituas.

5 ¶ Meſſem, inſpiciente colono, cum alienam eſſe non ignorares, ſuſtuliſti. condicere tibi frumentum dominum poſſe Labeo ait: &, vt id faciat, colonum ex conducto cum domino acturum.

6 ¶ Locator horrei propoſitum habuit, ſe aurum, argentum, margaritam non recipere ſuo periculo. deinde, cùm ſciret has res inferri, paſſus eſt. proinde eum futurum tibi obligatum dixi. ac, ſi propoſitum fuit, remiſſum videtur.

7 ¶ Seruum meum mulionem conduxiſti. neglegentia eius, mulus tuus periit. ſi ipſe ſe locaſſet, ex peculio dumtaxat, & in rem verſum damnum tibi præſtaturum dico: ſin autem ipſe eum locaſſem, nõ vltrà me tibi præſtaturum, quàm dolum malum & culpam meam abeſſe. quòd ſi ſine definitione perſonæ mulionem à me conduxiſti: & ego eum tibi dediſſem: cuius neglegentia iumentum perierit: illam quoque culpam me tibi præſtaturum aio, quòd eũ elegiſſem, qui eiuſmodi damno te adficeret.

8 ¶ Vehiculum conduxiſti, vt onus tuum portaret, & ſecum iter faceret. id cùm pontem tranſiret, redemptor eius pontis portorium ab eo exigebat. quærebatur, an etiam pro ipſa ſola reda portorium daturus fuerit. puto, ſi mulio non ignorauit eà ſe tranſiturum, cùm vehiculum locaret, mulionem præſtare debere.

9 ¶ Rerum cuſtodiam, quam horrearius conductoribus præſtaret deberet, locatorem totorum horreorum horreario præſtare non debere puto: niſi ſi in locando aliter conuenerit.

61. *Scæuola* libro 7. Digeſtorum.

COlonus, cùm lege locationis non eſſet comprehenſum, vt vineas poneret, nihilominùs

in fundum vineas inſtituit: & propter earum fructũ denis amplius aureis annuis ager locari cœperat. quæſitum eſt; ſi dominus iſtum colonum fundi eiectum, penſionum debitarum nomine conueniat, an ſumptus vtiliter factos in vineis inſtituendis reputare poſſit, oppoſita doli mali exceptione reſpondit, vel expenſas conſecuturum, vel nihil amplius præſtaturum.

1 ¶ Nauem conduxit, vt de prouincia Cyrenenſi Aquileiam nauigaret, olei metretis tribus milibus impoſitis, & frumenti modiis octo milibus, certa mercede: ſed euenit, vt onerata nauis in ipſa prouincia nouem menſibus retineretur, & onus impoſitum commiſſo tolleretur. quæſitum eſt, an vecturas, quas conuenit, à conductore ſecundùm locationem exigere nauis poſſit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, poſſe.

62. *Labeo* libro 1. Pithanorum.

SI riuum, quem faciendum conduxeras, & feceras, antequàm eum probares, labes corrumpit: tuum periculum eſt. *Paulus*: Immo, ſi ſoli vitio id accidit, locatoris erit periculum. ſi operis vitio accidit, tuum erit detrimentum.

## DE ÆSTIMATORIA, TIT. III.

1. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

ACtio de æſtimato proponitur tollendæ dubitationis gratia. fuit enim magis dubitatum, cùm res æſtimata vendenda datur, vtrùm ex vendito ſit actio, propter æſtimationem, an ex locato, quaſi rem vendendam locaſſe videor, an ex conducto, quaſi operas conduxiſſem, an mandati. melius itaque viſum eſt, hanc actionem proponi. quotiens enim de nomine contractus alicuius ambigeretur, conueniret tamen aliquam actionem dari, dandam æſtimatoriam præſcriptis verbis actionem. eſt enim negotium ciuile geſtum, & quidem bona fide. quare omnia & hic locum habent, quæ in bonæ fidei iudiciis diximus.

1 ¶ Æſtimatio autem periculum facit eius, qui ſuſcepit, aut igitur ipſam rem debebit incorruptam reddere: aut æſtimationem, de qua conuenit.

2. *Paulus* libro 30. ad Edictum.

HÆc actio vtilis eſt, & ſi merces interuenit.

## DE RERVM PERMVTATIONE, TIT. IIII.

*Paulus* libro 32. ad Edictum.

SIcut aliud eſt vendere, aliud emere: alius emptor, alius venditor: ita pretium aliud, aliud merx. at in permutatione diſcerni non poteſt, vter emptor, vel vter venditor ſit: multùmque differunt præſtationes. emptor enim, niſi nummos accipientis fecerit, tenetur ex vendito. venditori ſufficit ob euictionem ſe obligare, poſſeſſionem tradere, & purgari dolo malo. itaque, ſi euicta res non ſit, nihil debet. In permutatione verò, ſi vtrumque pretium eſt, vtriuſque rem fieri oportet, ſi merx, neutrius. ſed cùm debeat & res, & pretium eſſe: non poteſt inueniri, quid eorum merx, & quid pretium ſit. nec ratio patitur, vt vna eademque res & veneat, & pretium ſit emptionis.

1 ¶ Vnde ſi ea res, quam acceperim, vel dederim, poſtea euincatur: in factum dandam actionem, reſpondetur.

2 ¶ Item emptio ac venditio, nuda conſentientium voluntate contrahitur. permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet. alioquin, ſi res nõdum tradita ſit, nudo conſenſu conſtitui obligationem dicemus: quod in his dumtaxat receptum eſt, quæ nomen ſuum habent: vt in emptione, venditione, conductione, mandato.

3 ¶ Ideóque Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem.

4 ¶ Igitur, ex altera parte traditione facta, ſi alter rem nolit tradere: non in hoc agemus, vt interſit noſtra, illam rem accepiſſe, de qua conuenit: ſed vt res contrà nobis reddatur, condictioni locus eſt, quaſi re non ſecuta.

2. *Idem* libro 5. ad Plautium.

ARiſto ait, quoniam permutatio vicina eſſet emptioni, ſanum quoque, furtis noxiſq; ſolutum, & non eſſe fugitiuum ſeruum præſtandum, qui ex cauſa daretur.

## DE PRÆSCRIPTIS VERBIS, ET In factum actionibus, TIT. V.

*Papinianus* libro 8. Quæſtionum.

NOnnunquam euenit, vt ceſſantibus iudiciis proditis, & vulgaribus actionibus cùm proprium nomen inuenire non poſſumus, facilè deſcendemus ad eas, quæ in factum appellantur. ſed, ne res exemplis egeat, paucis agam.

1 ¶ Domino mercium in magiſtrum nauis, ſi ſit incertum, vtrùm nauem conduxerit, an merces vehendas locauerit: ciuilem actionem in factum eſſe dandam, Labeo ſcribit.

2 ¶ Item, ſi quis pretij explorandi gratia rem tradat: neque depoſitum, neque commodatum erit: ſed, non exhibita fide, in factum ciuilis ſubicitur actio.

2. *Celſus* libro 8. Digeſtorum.

NAm cùm deficiant vulgaria, atque vſitata actionum nomina: præſcriptis verbis agendum eſt.

3. *Iulianus* libro 14. Digeſtorum.

IN quam neceſſe eſt confugere, quotiens contractus exiſtunt, quorum appellationes nullæ iure ciuili proditæ ſunt.

4. *Vlpianus* libro 30. ad Sabinum.

NAtura enim rerum conditum eſt, vt plura ſint negotia, quàm vocabula.

5. *Paulus* libro 5. Quæſtionum.

NAturalis meus filius ſeruit tibi: & tuus filius mihi. conuenit inter nos, vt & tu meum manumitteres, & ego tuum. ego manumiſi. tu nõ manumiſiſti. qua actione mihi teneris, quæſitum eſt. In hac quæſtione totius ob rem datis, tractatus inſpici poteſt: qui in his competit ſpeciebus. Aut enim do tibi, vt des: aut do, vt facias: aut facio, vt des: aut facio, vt facias. in quibus quæritur, quæ obligatio naſcatur.

1 ¶ Et ſi quidem pecuniam dem, vt rem accipiam: emptio & venditio eſt. ſin autem rem do, vt rem accipiam: quia non placet permutationem rerum emptionem eſſe: dubium non eſt, naſci ciuilem obligationem. in qua actione id veniet: non vt reddas, quod acceperis: ſed vt damneris mihi, quanti intereſt mea, illud, de quo conuenit, accipere: vel, ſi meum recipere velim, repetatur, quod datum eſt, quaſi ob rem datum, re non ſecuta. Sed ſi ſcyphos tibi dedi, vt Stichum mihi dares: periculo meo Stichus erit: ac tu dumtaxat culpam præſtare debes. Explicitus eſt articulus ille, do, vt des.

2 ¶ At cùm do, vt facias: ſi tale ſit factum, quod locari ſolet, puta vt tabulam pingas: pecunia data, locatio erit: ſicut ſuperiore caſu emptio. ſi res: non erit locatio: ſed naſcetur vel ciuilis actio in hoc, quod mea intereſt: vel ad repetendum condictio. Quòd ſi tale eſt factum, quod locari non poſſit, puta vt ſeruum manumittas: ſiue certum tempus adiectum eſt, intra quod manumittatur, idque, cùm potuiſſet manumitti, viuo ſeruo tranſierit, ſiue finitum non fuit, & tantum temporis conſumptum ſit, vt potuerit, debueritque manumitti: condici ei poteſt: vel præſcriptis verbis agi. quod his, quæ diximus, conuenit. Sed ſi dedi tibi ſeruum, vt ſeruum tuum manumitteres, & manumiſiſti, & is, quem dedi euictus eſt: ſi ſciens dedi, de dolo in me



dandam actionem Iulianus ſcribit: ſi ignorans, in factum ciuilem. 3 ¶ Quòd ſi faciam, vt des: & poſteaquam feci, ceſſas dare: nulla erit ciuilis actio: & ideo de dolo dabitur. 4 ¶ Sed ſi facio, vt facias; hæc ſpecies tractatus plures recipit. nam ſi pacti ſumus, vt tu à meo debitore Carthagine exigas, ego à tuo Romæ; vel vt tu in meo, ego in tuo ſolo ædificem, & ego ædificaui, & tu ceſſas: in priorem ſpeciem mandatum quodammodo interueniſſe videtur. ſine quo exigi pecunia alieno nomine non poteſt. quamquam enim & impendia ſequantur, tamen mutuum officium præſtamus. & poteſt mandatum ex pacto etiam naturam ſuam excedere. poſſum enim tibi mandare, vt & cuſtodiam mihi præſtes, & non plus impendas in exigendo, quàm decem. &, ſi eandem quantitatem impenderemus, nulla dubitatio eſt. ſin autem alter fecit vt & hic mandatum interueniſſe videatur, quaſi refundamus inuicem impenſas. neq; enim de re tua tibi mando. ſed tutius erit, & in inſulis fabricandis, & in debitoribus exigendis, præſcriptis verbis dari actionem, quæ actio ſimilis erit mãdati actioni: quemadmodum in ſuperioribus caſibus locationi & emptioni. 5 ¶ Si ergo hæc ſunt, vbi de faciendo ab vtroq; conuenit: & in propoſita quæſtione idem dici poteſt & neceſſariò ſequitur, vt eius fiat condemnatio, quanti intereſt mea, ſeruum habere, quem manumiſi. an deducendum erit, quòd libertum habeo? ſed hoc non poteſt æſtimari.

6. *Neratius* libro 1. Reſponſorum.

INſulam hoc modo, vt aliam inſulam reficeres, vẽdidi. reſpondit, nullam eſſe venditionem: ſed ciuili intentione incerti agendum eſt.

7. *Papinianus* libro 2. Quæſtionum

SI tibi decem dedero, vt Stichum manumittas; & ceſſaueris: confeſtim agam præſcriptis verbis, vt ſoluas, quanti mea intereſt: aut, ſi nihil intereſt, condicam tibi, vt decem reddas.

8. *Idem* libro 27. Quæſtionum.

SI dominus ſeruum, cùm furto argueretur, quæſtionis habendæ cauſa æſtimatum dediſſet, neque de eo compertum fuiſſet, & is non redderetur: eo nomine ciuiliter agi poſſe: licèt aliquo caſu ſeruum retenturus eſſet, qui traditum accepiſſet. poteſt enim retinere ſeruum, ſiue dominus pro eo pecuniam elegiſſet, ſiue in admiſſo deprehenſus fuiſſet. tunc enim & datam æſtimationem reddi à domino oportere. ſed quæſitum eſt, qua actione pecunia, ſi eam dominus elegiſſet, peti poſſet. dixi; tametſi quod inter eos ageretur, verbis quoq; ſtipulationis concluſum non fuiſſet; ſi tamen lex contractus non lateret; præſcriptis verbis incerti & hic agi poſſe, nec videri nudum pactum interueniſſe, quotiens certa lege dari probaretur.

9. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

OB eam cauſam acceptò liberatus, vt nomen Titij debitoris delegaret, ſi fidem contractus non impleat, incerti actione tenebitur. itaq; iudicis officio non vetus obligatio reſtaurabitur, ſed promiſſa præſtabitur, aut condemnatio ſequetur.

10. *Iauolenus* libro 13. Epiſtularum.

PArtis tertiæ vſumfructum legauit. hæredis bona ab eius creditoribus diſtracta ſunt, & pecuniam, quæ ex æſtimatione partis terræ fiebat, mulier accepit fruendi cauſa. & per ignorantiam ſtipulatio prætermiſſa eſt. quæro, an ab hærede mulieris pecunia, quæ fruendi cauſa data eſt, repeti poſſit, & qua actione. reſpondi, In factum actionem dari debere.

11. *Pomponius* libro 39. ad Quintum Mucium.

QVia actionum non plenus numerus eſſet, ideo plerumque actiones in factum deſiderantur. ſed & eas actiones, quæ legibus proditæ ſunt, ſi lex iuſta ac neceſſaria ſit, ſupplet prætor in eo, quod legi deeſt. quod facit in lege Aquilia, reddendo actiones in factum accommodatas legi Aquiliæ. idq; vtilitas eius legis exigit.

12. *Proculus* libro 11. Epiſtularum.

SI vir vxori ſuæ fundos vendidit; & in venditione comprehenſum eſt, conueniſſe inter eos, ſi ea nupta ei eſſe deſiſſet, vt eos fundos, ſi ipſe vellet, eodem pretio mulier tranſcriberet viro: in factum exiſtimo iudicium eſſe reddendum. idque & in aliis perſonis obſeruandum.

13. *Vlpianus* libro 13. ad Sabinum.

SI tibi rem vendendam certo pretio dediſſem, vt, quo pluris vendidiſſes, tibi haberes: placet, neque mandati, neq; pro ſocio eſſe actionem: ſed in factum, quaſi alio negotio geſto. quia & mandata gratuita eſſe debent: & ſocietas non videtur contracta in eo, qui te non admiſit ſocium diſtractionis, ſed tibi certum pretium excepit. 1 ¶ Iulianus libro vndecimo Digeſtorum ſcribit:

SI tibi areæ meæ dominium dedero, vt, inſula ædificata, partem mihi reddas: neq; emptionem eſſe, quia pretij loco partem rei meæ recipio: neque mandatum, quia non eſt gratuitum: neq; ſocietatem quia nemo ſocietatem contrahendo rei ſuæ dominus eſſe deſinit. Sed ſi puerum docendum, vel pecus paſcendum tibi dedero, vel puerum nutriendum; ita, vt, ſi poſt certos annos veniſſet, pretium inter nos communicaretur: abhorrere hæc ab area: eo quod hic dominus eſſe non deſinit, qui priùs fuit. competit igitur pro ſocio actio. ſed ſi fortè puerum dominij tui fecero: idem ſe, quod in area, dicturum: quia dominium deſinit ad primum dominum pertinere. quid ergo eſt? in factum putat actionem Iulianus dandam, id eſt, præſcriptis verbis. Ergo ſi quis areæ dominium non tranſtulerit: ſed paſſus ſit, te ſic ædificare, vt communicaretur vel ipſa, vel pretium; erit ſocietas. idemq; & ſi partis areæ dominium tranſtulerit, partis non, & eadem lege ædificare paſſus ſit.

14. *Idem* libro 41. ad Sabinum.

QVi ſeruandarum mercium ſuarum cauſa alienas merces in mare proiecit, nulla tenetur actione. ſed ſi ſine cauſa id feciſſet, in factum: ſi dolo, de dolo tenetur. 1 ¶ Sed & ſi ſeruum quis alienũ ſpoliauerit, iſq; frigore mortuus ſit: de veſtimentis quidem furti agi poterit: de ſeruo verò in factum agendum: criminali pœna aduerſus eum ſeruata.

2 ¶ Sed & ſi calicem argenteum quis alienum in profundum abiecerit, damni dandi cauſa, nõ lucrifaciendi: Pomponius libro ſeptimodecimo ad Sabinum ſcripſit, neq; furti, neq; damni iniuriæ actionem eſſe: in factum tamen agendum.

3 ¶ Si glans ex arbore tua in meum fundũ cadat, eámq; ego immiſſo pecore depaſcam: Ariſto ſcribit, non ſibi occurrere legitimam actionem, qua experiri poſſim. nam neq; ex lege duodecim tabularum de paſtu pecoris, quia non in tuo paſcitur: neq; de pauperie, neque de damni iniuriæ agi poſſe. in factum itaque erit agendum.

15. *Idem* libro 42. ad Sabinum.

SOlent, qui nouerunt ſeruos fugitiuos alicubi celari, indicare eos dominis, vbi celentur. quæ res non facit eos fures. ſolent etiam mercedem huius rei accipere, & ſic indicare. nec videtur illicitum eſſe hoc, quod datur. quare qui accepit, quia ob cauſam accepit, nec improbam cauſam, non timet condictionem. quòd ſi ſolutum quidem nihil eſt, ſed pactio interceſſit ob indicium; hoc eſt, vt ſi indicaſſet, adprehenſúſque eſſet fugitiuus, certum aliquid daretur: videamus, an poſſit agere. & quidem conuentio iſta non eſt nuda, vt quis dicat, ex pacto actionem nõ oriri: ſed habet in ſe negotium aliquid ergo ciuilis actio oriri poteſt, id eſt, præſcriptis verbis. niſi ſi quis & in hac ſpecie de dolo actionem competere dicat, vbi dolus aliquis arguatur.

16. *Pomponius* libro 22. ad Sabinum.

PErmiſiſti mihi cretam eximere de agro tuo:ita vt eum locum vnde emiſſem,replerem. exemi, nec repleo,quæſitum eſt,quam habes actionem. ſed certum eſt, ciuilem actionem incerti competere. ſi autem vendidiſti cretam,ex vendito ages. quòd ſi poſt exemptionem cretę repleuero, nec patiaris me cretam tollere:tum agam ad exhibendum:quia mea facta eſt,cùm voluntate tua exempta ſit. 1 ¶ Permiſiſti mihi,vt ſererem in fundo tuo, & fructus tollerem:ſeui:nec pateris me fructus tollere.nullam iuris ciuilis actionem eſſe, Ariſto ait:an in factum dari debeat,deliberari poſſe.ſed erit de dolo.

17. *Vlpianus* libro 28.ad Edictum.

SI gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere poſsim?& Vivianus ait, poſſe. ſed eſt tutius,pręſcriptis verbis agere. 1 ¶ Si margarita tibi æſtimata dedero;vt aut eadem mihi adferres, aut pretium eorum; deinde hæc perierint ante venditionem:cuius periculum ſit?& ait Labeo, quod & Pomponius ſcripſit:ſi quidem ego te venditor rogaui,meum eſſe periculum. ſi tu me,tuum: ſi neuter noſtrum,ſed dumtaxat conſenſimus, teneri te hactenus,vt dolum & culpam mihi præſtes. actio autem ex hac cauſa vtique erit præſcriptis verbis. 2 ¶ Papinianus libro octauo quęſtionum ſcripſit.

SI rem tibi inſpiciendam dedi,& dicas te perdidiſſe:ita demum mihi præſcriptis verbis actio competit,ſi ignorem,vbi ſit. nam ſi mihi liqueat apud te eſſe:furti agere poſſum.vel condicere, vel ad exhibendum agere. Secundùm hæc: ſi cui inſpiciendum dedi,ſiue ipſius cauſa,ſiue vtriuſq;: & dolum,& culpam mihi præſtandam eſſe dico propter vtilitatem. periculum non. ſi verò mei dumtaxat cauſa datum eſt,dolum ſolum: quia propè depoſitum hoc accedit. 3 ¶ Si cùm vnum bouem haberem,& vicinus vnum:placuerit inter nos,vt per denos dies ego ei, & ille mihi bouem commodaremus, vt opus faceret; & apud alterum bos periit:commodati non competit actio;quia non fuit gratuitum commodatum: verùm præſcriptis verbis agendum eſt. 4 ¶ Si,cùm mihi veſtimēta vēderes,rogauero,vt ea apud me relinquas,vt peritioribus oſtenderem; mox hæc perierint vi ignis,aut alia maiore:periculum me minimè præſtaturum.ex quo apparet,vtiq; cuſtodiam ad me pertinere. 5 ¶ Si quis Sponſionis cauſa anulos acceperit,nec reddit victori: præſcriptis verbis actio in eum competit:nec enim recipienda eſt Sabini opinio,qui condici & furti agi ex hac cauſa putat.quēadmodum enim rei nomine, cuius neq; poſſeſsionē, neq; dominium victor habuit,aget furti?planè ſi inhoneſta cauſa ſponſionis fuit, ſui anuli dumtaxat repetitio erit.

18. *Idem* libro 30.ad Edictum.

SI apud te pecuniam depoſuerim,vt dares Titio, ſi fugitiuum meum reduxiſſe;nec dederis,quia nō reduxit:ſi pecuniam mihi non reddas, melius eſt, præſcriptis verbis agere. non enim ambo pecuniam ego,& fugitiuarius depoſuimus,vt quaſi apud ſequeſtrem ſit depoſitum.

19. *Idem* libro 31.ad Edictum.

ROgaſti me,vt tibi nummos mutuos darem:ego, cùm non haberem,dedi tibi rem vendendam,vt pretio vtereris.ſi non vendidiſti, aut vendidiſti quidem,pecuniam autem non accepiſti mutuam:tutius eſt,ita agere,vt Labeo ait, præſcriptis verbis: quaſi negotio quodam inter nos geſto proprij contractus. 1 ¶ Si prædium pro te obligauero: deinde placuerit inter nos, vt mihi fideiuſſorem præſtares; nec facias:melius eſſe dico,præſcriptis verbis agi,niſi merces interuenit.nam,ſi interuenit,ex locato eſſe actionem.

20. *Idem* libro 32.ad Edictum.

APud Labeonem quæritur: ſi tibi equos venales experiendos dedero, vt, ſi in triduo diſplicuiſſent,redderes;tuq; deſultor in his cucurreris, & viceris;deinde emere nolueris:an ſit aduerſus te ex vendito actio:& puto verius eſſe, præſcriptis verbis agendum.nam inter nos hoc actum,vt experimentum gratuitum acciperes:non vt etiam certares. 1 ¶ Item apud Melam quæritur: ſi mulas tibi dedero;vt experiaris;&,ſi placuiſſent emeres, ſi diſplicuiſſent, vt in dies ſingulos aliquid præſtares;deinde mulæ à graſſatoribus fuerint ablatæ intra dies experimenti:quid eſſet pręſtandum:vtrùm pretium & merces, an merces tantum.& ait Mela,intereſſe, vtrùm emptio iam erat contracta,an futura:vt,ſi facta,pretium petatur:ſi futura,merces petatur. ſed non exprimit de actionibus.puto autem,ſi quidem perfecta fuit emptio, cōpetere ex vendito actionem: ſi verò nondum perfecta eſſet,actionem talem, qualem aduerſus deſultorem dari. 2 ¶ Si, Cùm emere argentum velles, vaſcularius ad te detulerit,& reliquerit; & cum diſplicuiſſet tibi,ſeruo tuo referendum dediſti: & ſine dolo malo,& culpa tua perierit: vaſcularij eſſe detrimentum:quia eius quoq; cauſa ſit miſſum.certè culpam eorum,quibus cuſtodiendum, perferendumvè dederis,præſtare te oportere,Labeo ait. & puto,præſcriptis verbis actionem in hoc competere.

21. *Idem* libro 2.Diſputationum.

QVotiens deficit actio, vel exceptio: vtilis actio, vel exceptio eſt.

22. *Gaius* libro 10.ad Edictum Prouinciale.

SI tibi polienda,ſarciendáve veſtimenta dederim: ſi quidem gratis hanc operam te ſuſcipiente, mādati eſt obligatio:ſi verò mercede data,aut conſtituta; locationis conductioniſq; negotium geritur. quòd ſi neq; gratis hanc operam ſuſceperis, neq; protinus aut data,aut conſtituta ſit merces, ſed eo animo negotium geſtum fuerit, vt poſtea tantum mercedis nomine daretur,quantum inter nos ſtatutum ſit:placet,quaſi de nouo negotio, in factum dandum eſſe iudicium,id eſt,præſcriptis verbis.

23. *Alfenus* libro 3.Digeſtorum à Paulo epitomatorum.

DVo ſecundum Tiberim cum ambularent: alter eorum ei,qui ſecum ambulabat,rogatus anulū oſtendit,vt reſpiceret:illi excidit anulus, & in Tiberim deuolutus eſt.reſpondit,poſſe agi cum eo in factum actionem.

24. *Africanus* libro 3.Quæſtionum.

TItius Sempronio triginta dedit:pactiq; ſunt, vt ex reditu eius pecuniæ tributum, quod Titius pendere deberet,Sempronius præſtaret, computatis vſuris ſemiſsibus: quantoq; minus tributorum nomine pręſtitum foret, quàm earum vſurarum quantitas eſſet,vt id Titio reſtitueret: quod amplius præſtitum eſſet,id ex ſorte decederet:aut, ſi & ſortem & vſuras ſumma tributorum exceſsiſſet, id,quod amplius eſſet,Titius Sempronio præſtaret: neq; de ea re vlla ſtipulatio interpoſita eſt. Titius conſulebat, id, quod amplius ex vſuris Sempronius redegiſſet, quàm tributorum nomine pręſtitiſſet, qua actione ab eo conſequi poſsit. reſpondit, pecuniæ quidem creditæ vſuras, niſi in ſtipulationem deductas, non deberi. verum in propoſito videndum, ne non tam fœnerata pecunia intellegi debeat,quàm quaſi mandatum inter eos contractum: niſi quod vltra ſemiſſem conſecuturus eſſet. ſed ne ipſius quidem ſortis petitionem pecuniæ creditæ fuiſſe. quando, ſi Sempronius eam pecuniam ſine dolo malo vel amiſiſſet,vel vaQuàm habuiſſet: dicendum, nihil eum eo nomine præſtare debuiſſe. quare tutius eſſe, præſcriptis verbis in factum actionem dari; præſertim



ſertim cùm illud quoque conueniſſet, vt, quod amplius pręſtitum eſſet,quàm ex vſuris redigeretur,ſorti decederet. quod ipſum ius & cauſam pecunię creditæ excedat.

25. *Marcianus* libro 3.Regularum.

SI operas fabriles quiSerui vice mutua dediſſet, vt totidem reciperet:poſſe eum præſcriptis verbis agere:ſicuti ſi penulas dediſſet,vt tunicas acciperet.nec eſſe hoc contrarium, quod ſi per errorem operæ indebitæ datæ ſunt,ipſæ repeti non poſſunt. nam aliud dando,vt aliud reddatur, obligari iure gentium poſſumus.quod autem indebitum datur; aut ipſum repeti debet,aut tantundem ex eodem genere.quorum neutro modo operæ repeti poſſunt.

26. *Pomponius* libro 21.ad Sabinum.

SI tibi ſcyphos dedi,vt eoſdem mihi redderes: cōmodati actio eſt. ſi, vt pondus argenti redderes, quantum in illis eſſet, tantidem ponderis petitio eſt per actionem præſcriptis verbis: tam boni tamen argenti,quàm illi ſcyphi fuerint. ſed ſi vt vel hos ſcyphos,vel vt eiuſdem ponderis argentum dares, conuenit:(idem)dicendum eſt.

# DIGESTORVM SEV PANDECTARVM PARS QVARTA.

## Liber viceſimus.

### DE PIGNORIBVS, ET HYpothecis: & qualiter ea contrahantur:& de pactis eorum.

*Papinianus* libro 11.Reſponſorum.

COnuentio generalis in pignore dādo bonorum vel poſtea quæſitorum recepta eſt.in ſpeciem autem alienæ rei collata conuentione; ſi non fuit ei,qui pignus dabat, debita; poſtea debitori dominio quæſito,difficiliùs creditori,qui non ignorauit alienū, vtilis actio dabitur;ſed facilior erit poſsidenti retentio. 1 ¶ Seruo pignori dato,peculium eius creditor,citra conuentionem ſpecialiter ſuper eo conceptam,fruſtra diſtrahit. nec intereſt, quando ſeruus domino peculium adquiſierat. 2 ¶ Cùm prædiū pignori daretur nominatim,vt fructus quoq; pignori eſſent,conuenit. eos conſumptos bona fide emptor vtili Seruiana reſtituere non cogetur. pignoris etenim cauſam nec vſucapione peremi placuit: quoniā quæſtio pignoris ab intentione dominij ſeparatur. Quod in fructibus diſſimile eſt, qui numquam debitoris fuerunt. 3 ¶ Pacto placuit, vt,ad diem vſuris non ſolutis, fructus hypothecarum vſuris compenſarentur fini legitimæ vſuræ. quamuis exordio minores in ſtipulatum venerint,non eſſe tamen irritam conuentionem placuit: cùm,ad diem minore fœnore non ſoluto, legitimæ maiores vſuræ ſtipulanti rectè promitti potuerunt. 4 ¶ Cùm prędium vxor viro donaſſet, idq; prędium vir pignori dediſſet: poſt diuortium mulier poſſeſsionem prædij ſui reciperauit,& idem prędium ob debitum viri pignori dedit. in ea dumtaxat pecunia rectè pignus à muliere cōtractum apparuit,quam offerre viro debuit, meliore prædio facto: ſcilicet ſi maiores ſumptus, quàm fructus fuiſſent, quos vir ex prædio percepit. etenim in ea quantitate proprium mulier negotium geſsiſſe,non alienum ſuſcepiſſe videtur.

2. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

FIdeiuſſor,qui pignora vel hypothecas ſuſcepit,atque pecunias ſoluit,ſi mandati agat, vel cum eo agatur:exemplo creditoris, etiam culpam æſtimari oportet.ceterùm iudicio quod de pignore dato proponitur,conueniri non poteſt.

3. *Idem* libro 20.Quæſtionum.

SI ſuperatus ſit debitor, qui rem ſuam vindicabat, quod ſuam non probat:æquè ſeruanda erit creditori actio Seruiana probanti, res in bonis eo tempore,quo pignus contrahebatur,illius fuiſſe. ſed & ſi victus ſit debitor vindicans hæreditatem: iudex actionis Seruianæ, neglecta de hæreditate dicta ſententia,pignoris cauſam inſpicere debebit, atquin aliud in legatis,& libertatibus dictum eſt: cùm ſecundùm eum,qui legitimam hereditatem vindicabat,ſententia dicta eſt. ſed creditor non benè legatariis per omnia comparatur. cùm legata quidem aliter valere non poſſunt,quàm ſi teſtamentum ratum eſſe conſtaret.enimuerò fieri poteſt, vt & pignus rectè ſit acceptum,nec tamen ab eo lis bene inſtituta. 1 ¶ Per iniuriam victus apud iudicium,rem,quam petierat, poſtea pignori obligauit. non plus habere creditor poteſt,quàm habet,qui pignus dedit. ergo ſummouebitur rei iudicatæ exceptione. tametſi maximè nullam propriam,qui vicit actionem exercere poſſit.non enim,quid ille non habuit,ſed quid in ea re, quæ pignori data eſt, debitor habuerit, conſiderandum eſt.

4. *Gaius* libro ſingulari de formula hypothecaria.

COntrahitur hypotheca per pactum conuentum, cùm quis paciſcatur,vt res eius propter aliquā obligationem ſint hypothecę nomine obligatæ. nec ad rem pertinet,quibus fit verbis. ſicuti eſt & in his obligationibus,quæ conſenſu contrahuntur. & ideo & ſine ſcriptura ſi conuenit, vt hypotheca ſit,& probari poterit:res obligata erit,de qua conueniunt.fiūt enim de his ſcripturæ,vt,quod actum eſt, per eas faciliùs probari poterit:& ſine his autem valet, quod actum eſt,ſi habeat probationē, ſicut & nuptiæ ſunt, licèt teſtationes in ſcriptis habitæ non ſunt.

5. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

REs hypothecæ dari poſſe ſciendum eſt pro quacumq; obligatione:ſiue mutua pecunia datur. ſiue dos,ſiue emptio vel venditio contrahatur, vel etiam locatio & conductio,vel mandatum:& ſiue pura eſt obligatio,vel in diem,vel ſub condicione:& ſiue in præſenti contractu,ſiue etiam præcedat. ſed & futuræ obligationis nomine dari poſſunt. ſed & non ſoluendæ omnis pecuniæ cauſa,verùm etiam de parte eius. & vel pro ciuili obligatione,vel honoraria, vel tantùm naturali. ſed & in condicionali obligatione non aliàs obligantur,niſi conditio extiterit. 1 ¶ Inter pignus autem, & hypothecam tantùm nominis ſonus differt. 2 ¶ Dare autē quis hypothecā poteſt,ſiue pro ſua obligatione,ſiue pro aliena.

6. *Vlpianus* libro 73.ad Edictum.

OBligatione generali rerum; quas quis habuit, habiturúſve ſit, ea non continebuntur, quæ veriſsimile eſt quemquam ſpecialiter obligaturum non fuiſſe. vtputa ſupellex. item veſti

relinquenda eſt debitori. & ex mancipiis quæ in eo vſu habebit, vt certum ſit, eum pignori datum nō fuiſſe. proinde de miniſteriis eius perquàm ei neceſſariis, vel quæ ad affectionem eius pertineant.

7. *Paulus* libro 68. ad Edictum.

VEl quæ in vſum coTidianum habentur, Seruiana non competit.

8. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

DEniq; concubinam, filios naturales, alumnos, conſtituit generali obligatione non contineri. & ſi qua alia ſunt huiuſmodi miniſteria.

9. *Gaius* libro 9. ad Edictum Prouinciale.

SEd & quod ad eas res: quas eo tempore, quo paciſcebatur, in bonis habuit, idē obſeruari debet.

1 ¶ Quod emptionem venditionémque recipit, etiam pignerationem recipere poteſt.

10. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

SI debitor res ſuas duobus ſimul pignori obligauerit, ita VTrique in ſolidum obligatæ eſſent: ſinguli in ſolidum aduerſus extraneos Seruiana vtentur: inter ipſos autem ſi quæſtio moueatur, poſſidētis meliorem eſſe condicionem. dabitur enim poſſidenti hęc exceptio, *Si non conuenit, vt eadem res mihi quoque pignori eſſet.* ſi autem id actum fuerit, vt pro partibus res obligarentur: vtilem actionem competere & inter ipſos, & aduerſus extraneos: per quam dimidiam partis poſſeſſionem adprehendant ſinguli.

*Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam

SI is, qui bona reipublicæ iure adminiſtrat, mutuā pecuniam pro ea accipiat: poteſt rem eius obligare. 1 ¶ Si ἀντίχρησις, *i. mutuus pignoris vſus pro credito*, facta ſit; & in fundum, aut in ædes aliquis inducatur: eouſq; retinet poſſeſſionem pignoris loco, donec illi pecunia ſoluatur. cùm in vſuras fructus percipiat, aut locando, aut ipſe percipiendo, habitandoq́;. itaq;, ſi amiſerit poſſeſſionem, ſolet in factum actione vti. 2 ¶ Vſusfructus an poſſit pignori hypothecæve dari, quæſitum eſt, ſiue dominus proprietatis conuenerit, ſiue ille, qui ſolum vſumfructum habet. & ſcribit Papinianus libro vndecimo reſponſorum, tuendum creditorem. & ſi velit cum creditore proprietarius agere, *Non eſſe ei ius vti frui inuito ſe*: tali exceptione eum prætor tuebitur, *Si non inter creditorem, & eum, ad quem vſusfructus pertinet, conuenerit, vt vſusfructus pignori ſit.* nam & cùm emptorem vſusfructus tuetur prætor, cur non & creditorem tuebitur? eadem ratione & debitori obiicietur exceptio. 3 ¶ Iura prędiorum vrbanorum pignori dari non poſſunt. igitur nec conuenire poſſunt, vt hypothecæ ſint.

68. *Paulus* libro 12. ad Edictum.

SEd an viæ, itineris, actus, aquęductus pignoris cōuentio locum habeat, videndum eſſe Pomponius ait: vt talis pactio fiat, vt, quamdiu pecunia ſoluta nō ſit, eis ſeruitutibus creditor vtatur: ſcilicet ſi vicinū fundum habeat: &, ſi intra diem certum pecunia ſoluta non ſit, vendere eas vicino liceat. quæ ſententia propter vtilitatem contrahentium admittenda eſt.

13. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

GRege pignori obligato: quæ poſtea naſcuntur, tenentur, ſed & ſi, prioribus capitibus decedentibus, totus grex fuerit renouatus: pignori tenebitur.

1 ¶ Statuliber quoq; dari hypothecæ poterit: licèt, condicione exſiſtente, euaneſcat pignus.

2 ¶ Cùm pignori rem pigneratam accipi poſſe placuerit: quatenus vtraq; pecunia debetur, pignus ſecundo creditori tenetur: & tam exceptio, quā actio vtilis ei danda eſt. quòd ſi dominus ſoluerit pecuniam, pignus quoq; perimitur. ſed poteſt dubitari, numquid creditori, nummorum ſolutorum nomine, vtilis actio danda ſit, an non. quid enim, ſi res ſoluta fuerit: & verum eſt, quod Pomponius libro ſeptimo ad edictum ſcribit: ſi quidem pecuniam debet is, cuius nomen pignori datum eſt; exacta eā creditorem ſecum penſaturum: ſi verò corpus is debuerit, & ſolueria; pignoris loco futurum apud ſecundū creditorem. 3 ¶ Et in ſuperficiariis legitimè cōſiſtere creditor poteſt aduerſus quemlibet poſſeſſorem: ſiue tantum pactum conuentum de hypotheca interuenerit; ſiue etiam poſſeſſio tradita fuerit, deinde amiſſa ſit. 4 ¶ Etiam ſi creditor iudicatum debitorem fecerit, hypotheca manet obligata: quia ſuas condiciones habet hypothecaria actio: id eſt, ſi ſoluta eſt pecunia, aut ſatis factum eſt: quibus ceſſantibus, tenet. & ſi cum defenſore in perſonam egero: licet is mihi ſatiſdederit, & damnatus ſit: æquè hypotheca manet obligata. multo magis ergo ſi in perſonam actum ſit, ſiue cum reo, ſiue cum fideiuſſore, ſiue cum vtriſq; pro parte: licèt damnati ſint: hypotheca manet obligata. nec per hoc videtur ſatisfactū creditori, quòd habet iudicati actionem.

5 ¶ Si, ſub condicione debiti nomine, obligata ſit hypotheca: dicendum eſt, antè condicionem nō rectè agi: cùm nihil interim debeatur. ſed, ſi ſub cōdicione debiti condicio venerit, rurſus agere poterit. Sed ſi præſens ſit debitum, hypotheca verò ſub conditione, & agatur ante condicionem hypothecaria: verum quidem eſt, pecuniam ſolutam non eſſe: ſed auferri hypothecam iniquum eſt: ideoq́; arbitrio iudicis cautiones interponendæ ſunt, *Si condicio extiterit, nec pecunia ſoluatur, reſtitui hypothecam, ſi in rerum natura ſit.* 6 ¶ Propter vſuras quoq; ſi obligata ſit hypotheca, vſuræ ſolui debent. idem & in pœna dicemus.

14. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

QVæſitum eſt, ſi nondum dies penſionis venit, an & medio tempore perſequi pignora permittēdum ſit. & puto dandam pignoris perſecutionem: quia intereſt mea: & ita Celſus ſcribit. 1 ¶ Ex quibus caſibus naturalis obligatio conſiſtit, pignus perſeuerare conſtitit.

15. *Gaius* libro ſingulari de formula hypothecaria.

ET quæ nondum ſunt, futura tamen ſunt, hypothecæ dari poſſunt: vt fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum, & ea, quæ naſcuntur, ſint hypothecæ obligata. ídq; ſeruandum eſt: ſiue dominus fundi conuenerit, aut de vſufructu, aut de his, quæ naſcuntur: ſiue is qui vſumfructum habet: ſicut Iulianus ſcribit.

1 ¶ Quod dicitur, creditorem probare debere, cùm conueniebat, rem in bonis debitoris fuiſſe: ad eam conuentionem pertinet, quæ ſpecialiter facta eſt, non ad illam, quæ cottidie inſeri ſolet cautionibus, vt, ſpecialiter rebus hypothecę nomine datis, cætera etiam bona teneantur debitoris: quæ nunc habet: & quæ poſtea adquiſierit, perinde atq; ſi ſpecialiter hæ res fuiſſent obligatæ.

2 ¶ Qui res ſuas iam obligauerint, & alij ſecundo obligant creditori: vt effugiant periculum, quod ſolent pati, qui ſæpiùs eaſdem res obligant: prędicere ſolent, alij nulli rem obligatam eſſe, quàm fortè Lucio Titio: vt in id, quod excedit priorem obligationem, res ſit obligata: vt ſit pignori hypothecæve id, quod pluris eſt; aut ſolidum, cùm primo debito liberata res fuerit. de quo videndum eſt: vtrū hoc ita ſe habeat, ſi & conueniat; an & ſi ſimpliciter conuenerit de eo, quod excedit, vt ſit hypothecæ: & ſolida res ineſſe conuentioni videtur, cùm à primo creditore fuerit liberata, an ad hoc pars. ſed illud magis eſt, quòd priùs diximus.

16. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

Si fundus



SI fundus hypothecæ datus ſit, deinde alluſione maior factus eſt: totus obligabitur.

1 ¶ Si, neſciente domino, res eius hypothecæ data ſit; deinde poſtea dominus ratum habuerit: dicendum eſt, hoc ipſum, quod ratum habet, voluiſſe eum retro recurre ratihabitionem ad illud tempus, quo conuenit. voluntas autem fere eorum demum ſeruaVitur, qui & pignori dare poſſunt.

2 ¶ Si res hypothecæ data, poſtea mutata fuerit: æque hypothecaria actio competit. veluti de domo data hypothecæ, & horto facta. itē ſi de loco cōuenit, & domus facta ſit. item de loco dato deinde vineis in eo poſitis.

3 ¶ In vindicatione pignoris quæritur, an rem, de qua actum eſt, poſſideat is, cum quo actum eſt. nam ſi non poſſideat; nec dolo fecerit, quo minus poſſideat; abſolui debet. ſi verò poſſideat, & aut pecuniam ſoluat, aut rem reſtituat: æque abſoluendus eſt. ſi verò neutrum horum faciat, condemnatio ſequetur. ſed ſi velit reſtituere, nec poſſit, fortè quòd res abeſt, & longe eſt, vel in prouinciis: ſolet cautionibus res explicari. nam, ſi caueret ſe reſtituturum, abſoluitur. ſin verò dolo quidem deſiit poſſidere; ſumma autem ope niſus, non poſſit rem ipſam reſtituere: tanti condemnaVitur, quanti actor in litem iurauerit: ſicut in ceteris in rem actionibus. nam ſi tanti condemnatus eſſet, quantum deberetur: quid proderat in rem actio, cùm & in perſonam agendo idem conſequeretur.

4 ¶ Interdum etiam de fructibus arbitrari debet iudex: vt, ex quo lis inchoata ſit, ex eo tempore etiam fructibus condemnet. quid enim, ſi minoris ſit prædium, quàm debetur? nam de antecedentibus fructibus nihil poteſt pronuntiare: niſi exſtent, & res non ſufficit.

5 ¶ Creditor hypothecam ſibi per ſententiam adiudicatam quemadmodum habiturus ſit, quęritur. nam dominium eius vindicare non poteſt. ſed hypothecaria agere poteſt. &, ſi exceptio obiicietur à poſſeſſore reiudicatæ, replicet, *Si ſecundum me iudicatum non eſt.*

6 ¶ Si pluris condemnatus ſit debitor non reſtituendo pignus, quàm computatio ſortis, & vſurarum faciebat: an, ſi tantum ſoluerit, quantum debebat, exoneretur hypotheca? quod ego, quantum quidem ad ſubtilitatem legis, & auctoritatem ſententiæ, non probo. ſemel enim cauſa tranſire videtur ad condemnationem, & inde pecunia deberi. ſed humanius eſt, non amplius eum, quàm quod reuera debet, dando; hypothecam liberare. 7 ¶ Aliena res vtiliter poteſt obligari ſub conditione, ſi debitoris facta fuerit.

8 ¶ Si duo pariter de hypotheca paciſcantur: in quantum quiſque obligatam hypothecam habeat, vtrùm pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis, quæritur. & magis eſt, vt pro quantitate debiti pignus habeant obligatum. ſed vterque, ſi cum poſſeſſore agat, quemadmodū, vtrùm de parte quiſque, an de toto, quaſi vtrique in ſolidum res obligata ſit; quod erit dicendum, ſi eodem die pignus vtrique datum eſt ſeparatim. ſed ſi ſimul illi & illi, ſi hoc actum eſt, vterque rectè in ſolidum aget: ſi minùs, vnuſquiſque pro parte. 9 ¶ Poteſt ita fieri pignoris datio, hypothecæue; vt, ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, iure emptoris poſſideat rem iuſto pretio tunc æſtimandum. hoc enim enim caſu videtur quodammodo condicionalis eſſe venditio. & ita Diuus Seuerus, & Antoninus reſcripſerunt.

17. *Vlpianus* libro 15. ad Edictum.

PIgnoris perſecutio in rem parit actionem creditori.

18. *Paulus* libro 19. ad Edictum.

SI ab eo, qui Publiciana vti potuit, quia dominium non habuit, pignori accepi: ſic tuetur me per Seruianam prætor, quemadmodum debitorem per Publicianam.

19. *Vlpianus* libro 21. ad Edictum.

QVi pignori plures res accepit, non cogitur vnam liberare, niſi accepto vniuerſo, quātum debetur.

20. *Idem* libro 63. ad Edictum.

CVm conuenit, vt is, qui ad refectionem ædificij credidit, de penſionibus iure pignoris ipſe creditum recipiat, etiam actiones vtiles aduerſus inquilinos accipiet, cautionis exemplo, quam debitor creditori pignori dedit.

21. *Idem* libro 73. ad Edictum.

SI inter colonum, & procuratorem meum conuenerit de pignore, vel ratā habente me conuentionē, vel mandante; quaſi inter me, & colonum meum conueniſſe videatur. 1 ¶ Si debitor ſeruum, quē à non domino bona fide emerat, & pignerauit, teneat: Seruianæ locus eſt. &, ſi aduerſus eum agat creditor, doli replicatione exceptionem elidet. & ita Iulianus ait: & habet rationem. 2 ¶ Quidquid pignori commodi, ſiue incōmodi, fortuitò acceſſit: id ad debitorem pertinet. 3 ¶ Si res pignerata non reſtituatur, lis aduerſus poſſeſſorem erit æſtimanda. ſed vtique aliter aduerſus ipſum debitorem, aliter aduerſus quemuis poſſeſſorem. nam aduerſus debitorem non pluris quàm quanti debet: quia non pluris intereſt. aduerſus ceteros poſſeſſores etiam pluris. & quod amplius debito conſecutus creditor fuerit, reſtituere debet debitori pigneraticia actione.

22. *Modeſtinus* libro 7. Differentiarum.

SI Titio, qui rem meam, ignorante me, creditori ſuo pignori obligauerit, heres exſtitero: ex poſtfacto pignus directò quidem non conualeſcit: ſed vtilis pigneraticia dabitur creditori.

23. *Idem* libro 3. Regularum.

CReditor prædia ſibi obligata ex cauſa pignoris, locare rectè poterit. 1 ¶ Pignoris obligatio etiam inter abſentes rectè ex contractu obligatur.

24. *Idem* libro 5 Regularum.

IN quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur.

25. *Idem* libro 8. Regularum.

CVm vitioſè vel inutiliter contractus pignoris intercedat, retentioni locus non eſt: nec ſi bona creditoris ad fiſcum pertineant.

26. *Idem* libro 4. Reſponſorum.

FIdeiuſſor impetrauit à poteſtate, vt, & antequàm ſolueret, pignora ipſe poſſideat, quaſi ſatisfacturus creditoribus: nec ſatisfecit, modò heres debitoris paratus eſt ſoluere creditoribus. quæro, an pignora fideiuſſor reſtituere cogendus ſit. Modeſtinus reſpondit, cogendum eſſe. 1 ¶ Pater Seio emancipato filio facilè perſuaſit, vt, quia mutuam quantitatem acciperet à Septicio creditore, chirographum perſcriberet ſua manu filius eius, quòd ipſe impeditus eſſet ſcribere, ſub commemoratione domus ad filium pertinentis pignori dandæ. quærebatur, an Seius inter cetera bona etiam hanc domum iure optimo poſſidere poſſit, cùm patris ſe hereditate abſtinuerit: nec metuiri ex hoc ſolo, quòd, mandante patre manu ſua perſcripſit inſtrumentum chirographi: cùm neque conſenſum ſuum accommodauerat patri aut ſigno ſuo, aut alia ſcriptura. Modeſtinus reſpondit, cùm ſua manu pignori domum ſuam futuram Seius ſcripſerat, conſenſum ei obligationi dediſſe manifeſtum eſt. 2 ¶ Lucius Titius prædia, & mancipia, quæ in prædiis erant, obligauit. heredes eius, prædiis inter ſe diuiſis, illis mancipiis defunctis, alia ſubſtituerūt creditor poſtea prædia cum mancipiis diſtraxit. quæritur, an ipſa mancipia, quæ ſunt modò in prædiis cōſtituta, hoc eſt in hypothecis, emptor vindicare rectè poſſit. Modeſtinus reſpondit, ſi neque pignerata ſunt

ipſa mancipia, neque ex pigneratis ancillis nata, minimè creditoribus obligata eſſe.

27. *Marcellus* libro 5. Digeſtorum.

SEruum, quem quis pignori dederat, ex leniſsima offenſa vinxit: mox ſoluit. &, quia debito non ſatisfaciebat, creditor minoris ſeruum vendidit. an aliqua actio creditori in debitorem conſtituêda ſit quia crediti ipſius actio non ſufficit ad id, quod deeſt, conſequendum? quid, ſi eum interfeciſſet, aut eluſcaſſet? vbi quidem interfeciſſet, ad exhibendum tenetur. vbi autem eluſcaſſet, quaſi damni iniuriæ dabimus actionem ad quantum intereſt: quòd debilitâdo, aut vinciendo, perſecutionem pignoris exinanierit. fingamus nullam crediti nomine actionem eſſe, quia fortè cauſa ceciderat: non exiſtimo indignam rem animaduerſione, & auxilio prætoris. *Vlpianus notat*: ſi vt creditori noceret, vinxit, tenebitur: ſi merentem, non tenebitur.

28. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

SI legati condicionalis relicti filiofamilias, pater ab herede rem propriam eius pignori accepit, & mortuo patre, vel emancipato filio, condicio legati extiterit: incipit filio legatum deberi: & neque pater poteſt pignus vindicare, neque filius, qui nunc habere cœpiſſet actionem, nec ex præcedente tempore poteſt quicquam iuris habere in pignore: ſicut in fideiuſſore dicitur.

29. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

PAulus reſpondit, generalem quidem conuentionem ſufficere ad obligationem pignorum: ſed eas quæ ex bonis defuncti non fuerunt, ſed poſtea ab herede eius ex alia cauſa adquiſita ſunt, vindicari non poſſe à creditore teſtatoris.

1 ¶ Si mancipia in cauſam pignoris ceciderunt: ea quoque, quæ ex his nata ſunt, eodem iure habenda ſunt. quod tamen diximus etiam adgnata teneri; ſiue ſpecialiter de his conuenerit, ſiue non: ita procedit, ſi dominium eorum ad eum peruenit, qui obligauit, vel heredem eius. ceterùm, (ſi) apud alium dominũ pepererint, non erunt obligata.

2 ¶ Domus pignori data, exuſta eſt. eámque aream emit Lucius Titius: & extruxit. quæſitum eſt de iure pignoris. Paulus reſpondit, pignoris perſecutionem perſeuerare: & ideo ius ſoli ſuperficiem ſecutam videri, id eſt cum iure pignoris: ſed bona fide poſſeſſores non aliter cogendos creditoribus ædificium reſtituere, quàm ſumptus in exſtructione erogatos, quatenus pretioſior res facta eſt, reciperent.

3 ¶ Si ſciente, & conſentiente domino, ſeruus, vt omnia bona domini pignori obligata eſſent, conuenit: ipſum quoque, qui cauit, obligatum eſſe pignoris iure.

30. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

PEriculum pignorum nominis venditi ad emptorem pertinere: ſi tamen probetur eas res obligatas fuiſſe.

31. *Scæuola* libro 1. Reſponſorum.

LEx vectigali fundo dicta erat, vt, ſi poſt certum temporis vectigal ſolutum non eſſet, is fundus ad dominum redeat. poſtea is fundus à poſſeſſore pignori datus eſt. quæſitum eſt, an rectè pignori datus eſt. reſpondit, ſi pecunia interceſsit, pignus eſſe. Item quæſiit: ſi; cùm in exſolutione vectigalis tam debitor, quàm creditor ceſſaſſent; & propterea pronuntiatum eſſet, fundum ſecundùm legem, domini eſſe: cuius potior cauſa eſſet. reſpondit, ſi (vt proponeretur) vectigali non ſoluto, iure ſuo dominus vſus eſſet; etiam pignoris ius euanuiſſe.

32. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

DEbitor pactus eſt: vt quæcumque in prædia pignori data, inducta, inuecta, importata, ibi nata, paratáve eſſent, pignori eſſent. eorum prædiorum pars ſine colonis fuit: eáque actori ſuo colenda debitor ita tradidit, adſignatis & ſeruis culturæ neceſſariis. quæritur, an & Stichus vilicus, & ceteri ſerui ad culturam miſſi, & Stichi vicarij obligati eſſent. reſpondit, eos duntaxat, qui hoc animo à domino inducti eſſent, vt ibi perpetuò eſſent, non temporis cauſa accommodarentur, obligatos.

33. *Tryphoninus* libro 8. Diſputationum.

IS, qui promiſit tibi, aut Titio ſolutum quidem Titio repetere non poteſt, ſed pignus ei datum & ante ſolutionem recipit.

34. *Scæuola* libro 27. Digeſtorum.

CVm tabernam debitor creditori pignori dederit: quæſitum eſt; vtrum eo facto nihil egerit; an tabernæ appellatione merces, quæ in ea erant, obligaſſe videatur: &; ſi eas merces per tempora diſtraxerit, & alias comparauerit, eáſque in eam tabernam intulerit, & deceſſerit; an omnia, quæ ibi deprehenduntur, creditor hypothecaria actione petere poſſit: cùm & mercium ſpecies mutatæ ſint, & res aliæ illatæ. reſpondit: ea, quæ mortis tempore debitoris in taberna inuenta ſunt, pignori obligata eſſe videntur.

1 ¶ Item quæſiit cum epiſtola talis emiſſa ſit: Δανειζόμενος παρὰ σοῦ δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλεσα [illegible] βεβαιωτὴν [illegible] ἀλλ' [illegible] [illegible] χρεωστῶ [illegible] [illegible] [illegible] ἐπιτελοῦσι: eſt, *Mutuatus ab te* [illegible] *denarios, rogaui, ne ſponſorem, ſed pignus à me acciperes.* [illegible] *meos, quàm tibi, eſſe obligatos: & quòd tanquam* [illegible] *habueris* [illegible] pignus contractum ſit. an vero epiſtola nullius momẽti ſit, cùm ſine die & conſule ſit. reſpondit, cùm conuentio de pignoribus videtur, non idcirco obligationem pignorum ceſſare, quòd dies & conſules ad ſint, vel tabulæ ſignatæ non ſint.

2 ¶ Creditor pignori accepit à debitore quicquid in bonis habet, habiturúſve eſſet. quæſitum eſt, an corpora pecuniæ, quam idem debitor ab alio mutuam accepit, cùm in bonis eius facta ſint, obligata creditori, pignoris eſſe cœperint. reſpondit, cœpiſſe.

35. *Labeo* libro 1. Pithanon à Paulo Epitomatorum.

SI inſula, quam tibi ex pacto conuento licuit vendere, combuſta eſt, deinde à debitore ſuo reſtituta: idem in noua inſula iuris habes.

## IN QVIBVS CAVSIS PIGNVS, VEL Hypotheca tacitè contrahitur,

## TIT. II.

1. *Papinianus* libro 10. Reſponſorum.

SEnatuſconſulto, quod ſub Marco Imperatore factum eſt, pignus inſulæ creditori datum, qui pecuniam ob reſtitutionem ædificij extruẽdi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori, domino mandante, nummos miniſtrauit.

2. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

POmponius libro quadrageſimo variarum lectionum ſcribit. Non ſolùm pro penſionibus, ſed & ſi deteriorem habitationem fecerit culpa ſua inquilinus, quo nomine ex locato cum eo erit actio, inuecta & illata pignori erunt obligata.

3. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

SI horreum fuit conductum, vel deuorſorium, vel area: tacitam conuentionem de inuectis illatis, etiam in his locum habere, putat Neratius. quod verius eſt.

4. *Neratius* libro 1. Membranarum.

EO iure vtimur, vt quæ in prædia vrbana inducta, illata ſunt, pignori eſſe credantur, quaſi id tacitè conuenerit. in ruſticis prædiis contrà obſeruatur.



1 ¶ Stabula, quæ non ſunt in continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero habenda ſint, dubitari poteſt. & quidem vrbanorum ſine dubio non ſunt: cùm à ceteris ædificiis ſeparata ſint. quod ad cauſam tamen talis taciti pignoris pertinet, non multum ab vrbanis prædiis differunt.

5. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

POmponius libro tertiodecimo variarum lectionum ſcribit, ſi gratuitam habitationem conductor mihi præſtiterit, inuecta à me domino inſulæ pignori non eſſe.

1 ¶ Item illud, inquit, videndum eſt, voluntate domini induci pignus ita poſſe vt in partem debiti ſit obligatum.

2 ¶ Si quis fideiubeat, cùm res illius à debitore, pro quo fideiuſſit, pignori data ſit: belliſsimè intellegitur, hoc ipſo, quod fideiubeat, quodammodo mandare res ſuas eſſe obligatas. ſanè ſi poſtea ſint eius res hypothecæ datæ, non erunt obligatæ.

6. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

LIcèt in prædiis vrbanis tacitè ſolet conuentum accipi, vt perinde teneatur inuecta & inlata, ac ſi ſpecialiter conueniſſet: certè libertati huiuſmodi pignus non officit. idque & Pomponius probat. ait enim, manumiſſionem non officere ob habitationem obligatam.

7. *Pomponius* libro 13. ex variis lectionibus.

IN prædiis ruſticis fructus, qui ibi naſcuntur, tacitè intelleguntur pignori eſſe domino fundi locati, etiam ſi nominatim id non conuenerit.

1 ¶ Videndum eſt, ne non omnia illata, vel inducta, ſed ea ſola, quæ, vt ibi ſint, illata fuerint, pignori ſint: quod magis eſt.

8. *Paulus* libro 2. Sententiarum.

CVm debitor gratuita pecunia vtatur, poteſt creditor de fructibus rei ſibi pigneratæ ad modum legitimum vſuras retinere.

9. *Idem* libro ſingulari de Officio præfecti vigilum.

ESt differentia obligatorum propter penſionem, & eorum, quæ ex conuentione manifeſtarii pignoris nomine tenentur: quod manumittere mancipia obligata pignori nõ poſſumus: inhabitantes autẽ manumittimus: ſcilicet antequàm penſionis nomine percludamur. tunc enim pignoris nomine retenta mancipia non liberauimus. & deriſus Neruа iuriſconſultus, qui per feneſtram monſtrauerat ſeruos detentos ob penſionem liberari poſſe.

10. *Scæuola* libro 6. Digeſtorum.

TVtoris heres cum herede pupilli tranſactione facta, cùm ex ea maiorem partem ſolui ſtet, in reſiduam quantitatem pignus obligauit. quæſitum eſt, an in veterem contractum iure res obligata eſſet. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponerentur, obligatam eſſe.

## QVÆ RES PIGNORI VEL HYPOthecæ datæ, deligari non poſſunt,

## TIT. III.

*Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

PVpillus ſine tutoris auctoritate hypothecam dare non poteſt.

1 ¶ Si filiusfamilias pro alio rem peculiarem obligauerit, vel ſeruus: dicendum eſt, eam non teneri, licet liberam peculij ſui adminiſtrationem habeant. ſicut nec donare eis conceditur, non enim vſquequaque habent liberam adminiſtrationem. facti tamen eſt quæſtio, ſi quæratur, quouſque eis permiſſum videatur peculium adminiſtrare.

2 ¶ Eam rem, quam quis emere non poteſt, quia commercium eius non eſt, iure pignoris accipere nõ poteſt, vt Diuus Pius Claudio Saturnino reſcripſit. quid ergo, ſi prædium quis litigioſum pignori acceperit? an exceptione ſummouendus ſit? & Octauenus putabat, etiam in pignoribus locum habere exceptionem. quod ait Scæuola libro tertio variarũ quæſtionum procedere, vt in rebus mobilibus exceptio locum habeat.

2. *Gaius* libro ſingulari de formula hypothecaria.

SI alius pro muliere, quæ interceſsit, dederit hypothecam, aut pro filiofamilias, cui contra ſenatuſconſultum creditum eſt: an his ſuccurritur, quæritur. & in eo quidem, qui pro muliere obligauit rẽ ſuam, faciliùs dicetur ſuccurri ei, ſicuti fideiuſſori huius mulieris eadem datur exceptio. ſed & in eo, qui pro filiofamilias rem ſuam obligauit, eadem dicenda erunt, quæ tractantur & in fideiuſſore eius.

3. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

ARiſto Neratio Priſco ſcripſit, etiam ſi ita contractum ſit, vt antecedens dimitteretur, non aliter in ius pignoris ſuccedet, niſi conuenerit, vt ſibi eadem res eſſet obligata. neque enim in ius primi ſuccedere debet, qui ipſe nihil conuenit de pignore. quo caſu emptoris cauſa melior efficietur. denique ſi antiquior creditor de pignore vendendo cum debitore pactum interpoſuit, poſterior autem creditor de diſtrahendo omiſit, non per obliuionem, ſed cùm hoc ageretur, ne poſſet vendere: videamus, an dici poſsit, hoc vſque tranſire ad eum ius prioris, vt diſtrahere pignus huic liceat. quod admittendum exiſtimo. ſæpe enim, quod quis ex ſua perſona non habet, hoc per extraneum petere poteſt.

4. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

TItius, cùm mutuam pecuniam accipere vellet à Mæuio, cauit ei: & quaſdam res hypothecæ nomine dare deſtinauit: deinde poſtquàm quaſdam ex his rebus vendidiſſet, accepit pecuniam. quæſitum eſt, an & priùs res venditæ, creditori tenerentur. reſpondit, cùm in poteſtate fuerit debitoris, poſt cautionem interpoſitam pecuniam non accipere, eo tempore pignoris obligationem contractam videri, quo pecunia numerata eſt. & ideo inſpiciendum, quas res in bonis debitor numeratæ pecuniæ tempore habuerit.

5. *Idem* libro 5. Sententiarum.

CReditor, qui ſciens filiumfamilias à parente pignori accepit, relegatur.

## QVI POTIORES IN PIGNORE, VEL Hypotheca habeantur: & de his, qui in priorem creditorum locum ſuccedunt,

## TIT. IIII.

*Papinianus* libro 8. Quæſtionum.

QVi dotẽ pro muliere promiſit, pignus ſiue hypothecam de reſtituenda ſibi dote accepit: ſubſecuta deinde pro parte numeratione, maritus eandem rem pignori alij dedit: mox reſiduæ quantitatis numeratio impleta eſt, quærebatur de pignore. cùm ex cauſa promiſsionis ad vniuerſæ quantitatis exſolutionem, qui dotem promiſit, compellitur: non vtique ſolutionum obſeruanda ſunt tempora: ſed dies contractæ obligationis. nec probè dici, in poteſtate eius eſſe, ne pecuniam reſiduam redderet, vt minùs dotata mulier eſſe videatur.

1 ¶ Alia cauſa eſt eius, qui pignus accepit, ad eam ſummam, quam intra diem certum numeraſſet: ac fortè priùs, quàm numeraret, alij res pignori data eſt.

2. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

QVi generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior eſt, cui poſtea prædium ex his bonis datur: quamuis ex ceteris pecuniam ſuam redigere poſsit. quòd ſi ea conuentio prioris fuit, vt ita demũ

quadro 8. in pugn.

f.

cetera bona pignori haberentur, ſi pecunia de his, quæ generaliter accepit, ſeruari non potuiſſet: deficiente ſecunda conuentione, ſecundus creditor in pignore poſtea dato non tam potior, quàm ſolus inuenietur.

3. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

CReditor acceptis pignoribus, quæ ſecunda conuentione ſecundus creditor accepit, nouatione poſtea facta pignora prioribus addidit. ſuperioris temporis ordinem manere primò creditori placuit, tanquam in ſuum locum ſuccedenti.

1 ¶ Cùm ex cauſa mandati prædium Titio, cui negotium fuerat geſtum, deberetur: priùs quàm ei poſſeſsio traderetur, id pignori dedit: poſt traditam poſſeſsionem idem prædium alij denuo pignori dedit. prioris cauſam eſſe potiorem apparuit, ſi non creditor ſecundus pretium ei, qui negotium geſſerat, ſoluiſſet. verùm in ea quantitate, quàm ſoluiſſet, eiúſq; vſuris, potiorem fore conſtaret: niſi fortè prior ei pecuniam offerat. quod ſi debitor aliunde pecuniam ſoluiſſet, priorem præferendum.

2 ¶ Poſt diuiſionem regionibus factam inter fratres conuenit, vt, ſi frater agri portionem pro indiuiſo pignori datam, à creditore ſuo non liberaſſet, ex diuiſione quæſitæ partis partem dimidiam alter diſtraheret. pignus intellegi contractum exiſtimaui: ſed priorem ſecundo non eſſe potiorem: quoniam ſecundum pignus ad eam partem directum videbatur, quam vltra partem ſuam frater non conſentiente ſocio non potuit obligari.

4. *Pomponius* libro 35. ad Sabinum.

SI debitor, antequàm à priore creditore pignus liberaret, idem illud ob pecuniam creditam alij pignori dediſſet, & antequàm vtrique creditori ſolueret debitum, rem aliam priori creditori vendiderat, creditúmque penſauerit cum pretio rei venditæ: dicendum eſt perinde haberi debere, ac ſi priori creditori pecunia ſoluta eſſet. nec enim intereſſe, ſoluerit, an penſauerit. & ideo poſterioris creditoris cauſa eſt potior.

5. *Vlpianus* libro 3. Diſputationum.

INterdum poſterior potior eſt priori. vtputa ſi in rem iſtam conſeruandam impenſum eſt, quod ſequens credidit, veluti ſi nauis fuit obligata, & ad armandam eam rem, vel reficiendam ego credidero.

6. *Idem* libro 73. ad Edictum.

HVius enim pecunia ſaluam fecit totius pignoris cauſam. quod poterit quis admittere, & ſi in ciVaria nautarum fuerit creditum, ſine quibus nauis ſalua peruenire non poterat.

1 ¶ Item ſi quis in merces ſibi obligatas crediderit, vel vt ſaluæ fiant, vel vt naulum exſoluatur: potentior erit, licèt poſterior ſit. nam & ipſum naulum potentius eſt.

2 ¶ Tantundem dicetur, & ſi merces horreorum, vel areæ, vel vecturæ iumentorum debetur. nam & hic potentior erit.

7. *Idem* libro 3. Diſputationum.

IDémque eſt, ſi ex nummis pupilli fuerit res comparata, Quare, ſi duorum pupillorum nummis res fuerit comparata, ambo in pignus concurrent pro his portionibus, quæ in pretium rei fuerint expenſæ. Quòd ſi res non in totum ex nummis cuiuſdam comparata eſt: erit concurſus vtriuſque creditoris: id eſt: & antiquioris, & eius, cuius nummis comparata eſt. 1 ¶ Si tibi, quæ habiturus ſum, obligauerim; & Titio ſpecialiter fundum, ſi in dominium meum peruenerit; mox dominium eius adquiſiero: putat Marcellus, concurrere vtrumque creditorem & in pignore. non enim multum facit, quòd de ſuo nummos debitor dederit. quippe cùm res ex nummis pigneratis empta, non ſit pignerata ob hoc ſolùm, quòd pecunia pignerata erat.

8. *Idem* libro 7. Diſputationum.

SI pignus ſpecialiter reſpublica acceperit: dicendum eſt, præferri eam fiſco debere, ſi poſtea fiſco debitor obligatus eſt, quia & priuati præferuntur.

9. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

QVi balneum ex Kalendis proximis conduxerat, pactus erat, vt homo Eros pignori locatori eſſet, donec mercedes ſoluerentur. idem ante Kalendas Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dedit. conſultus: an, aduerſus hunc creditorem petentem Erotem, locatorem prætor tueri deberet; reſpondit, debere. licèt enim eo tempore homo pignori datus eſſet, quo nondum quicquam pro conductione deberetur: quoniam tamen iam tunc in ea cauſa Eros eſſe cœpiſſet, vt inuito locatore ius pignoris in eo ſolui non poſſet: potiorem eius cauſam habendam.

1 ¶ Amplius etiam ſub conditione creditorem tuendum putabat aduerſus eum, cui poſtea quicquã deberi cœperit: ſi modò non ea condicio ſit, quæ inuito debitore impleri non poſsit.

2 ¶ Sed etſi heres ob ea legata, quæ ſub condicione data erant, de pignore rei ſuæ conueniſſet, & poſtea eadẽ ipſa pignora ob pecuniam creditã pignori dedit, ac poſt conditio legatorum exſtitit: hic quoque tuẽdum eum, cui prius pignus datum eſſet: exiſtimauit.

3 ¶ Titia prædium alienum Titio pignori dedit: poſt Mæuio: deinde domina eius pignoris facta, marito ſuo in dotem æſtimatum dedit. ſi Titio ſoluta ſit pecunia, non ideo magis Mæuij pignus conualeſcere placebat. tunc enim, priore dimiſſo, ſequentis confirmatur pignus, cùm res in bonis debitoris inueniatur: in propoſito autem maritus emptoris loco eſt. atque ideo, quia neque tunc, cùm Mæuio obligaretur, neque cùm Titio ſolueretur, in bonis mulieris fuerit: nullum tempus inueniri, quo pignus Mæuij conualeſcere poſsit: hæc tamen ita, ſi bona fide in dotem æſtimatum prædium maritus accepit: id eſt, ſi ignorauit, Mæuio obligatum eſſe.

10. *Vlpianus* libro 1. Reſponſorum.

SI & iure iudicatum, & pignus in cauſa iudicati ex auctoritate eius, qui iubere potuit, captum eſt: priuilegiis temporis fore potiorem heredem eius, in cuius perſona pignus conſtitutum eſt.

11. *Gaius* libro ſingulari de formula hypothecaria.

POtior eſt in pignore, qui priùs credidit pecuniã, & accepit hypothecam: quamuis cum alio antè conuenerat, vt, ſi ab eo pecuniam acceperit, ſit res obligata: licèt ab hoc poſtea accepit. poterat enim, licèt antè conuenit, non accipere ab eo pecuniam.

1 ¶ Videamus, an idem dicendum ſit, ſi, ſub condicione ſtipulatione facta, hypotheca data ſit; qua pendente alius credidit purè, & accepit eandem hypothecam: tunc deinde prioris ſtipulationis exſiſtat condicio: vt potior ſit, qui poſtea crediſſet. ſed vereor, num hic aliud ſit dicendum. cùm enim ſemel condicio exſtitit: perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine condicione facta eſſet. quod & melius eſt.

2 ¶ Si colonus conuenit, vt inducta in fundum, illata, ibi nata, pignori eſſent; &, antequàm inducat, alij rem hypothecæ nomine obligauerit; tunc deinde eam in fundum induxerit: potior erit, qui ſpecialiter purè accepit: quia non ex cõuentione priori obligatur, ſed ex eo, quòd inducta res eſt. quòd poſteriùs factum eſt.

3 ¶ Si de futura re conuenerit, vt hypothecæ ſit, ſicuti eſt de partu: hoc quæritur, an ancilla conuentionis tempore in bonis fuit debitoris. & in fructibus; ſi conuenit, vt ſint pignoris, æquè quæritur, an fundus, vel ius vtendi fruendi conuentionis tempore fuerit debitoris.

4 ¶ Si paratus eſt poſterior creditor priori creditori ſoluere, quod ei debetur: videndum eſt, an competat ei hypothecaria actio, nolente priore creditore pecuniam accipere, & dicimus priori creditori inutilem eſſe actionem: cùm per eum fiat, ne ei pecunia ſoluatur.



12. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

CReditor, qui prior hypothecam accepit, ſiue poſſideat eam, & alius vindicet hypothecaria actione: exceptio prioris vtilis eſt, *Si non mihi ante pignori hypothecæve nomine ſit res obligata.* ſiue, alio poſſidente, prior creditor vindicet hypothecaria actione: & ille excipiat, *Si non conuenit, vt ſibi ſit res obligata*; hic in modum ſuprà relatum replicaVit. Sed ſi cum alio poſſeſſore creditor ſecundus agat: rectè aget, & adiudicari ei poterit hypotheca. vt tamen prior, cum eo agendo auferat ei rem. 1 ¶ Si, quoniam non reſtituebat rem pigneratam poſſeſſor, cõdemnatus ex præfatis modis litis æſtimationem exſoluerit: an perinde ſecundo creditori teneatur, ac ſi ſoluta ſit pecunia priori creditori, quæritur, & rectè puto hoc admittendum eſſe. 2 ¶ Si primus, qui ſine hypotheca credidit, poſt ſecundum, qui vtrumq; fecit, ipſe hypothecam accepit: ſine dubio poſterior in hypotheca eſt: vnde ſi in diem de hypotheca conuenit, dubium non eſt, quin potior ſit: licèt ante diẽ cum alio creditore pure de eadem re conuenit.

3 ¶ Si idem bis: id eſt, ante ſecundum, & poſt eum, crediderit: in priore pecunia potior eſt ſecundo: in poſteriore tertius eſt. 4 ¶ Si tecum de hypotheca paciſcatur debitor, deinde idem cum alio tua voluntate: ſecundus potior erit, pecunia autem ſoluta ſecundo, an rurſus teneatur tibi, rectè quæritur. erit autem facti quæſtio agitanda, quid inter eos actum ſit: vtrùm vt diſcedatur ab hypotheca in totum (cùm) prior conceſsit creditor, alij obligari hypothecam: an, vt ordo ſeruetur, & prior creditor ſecundo loco conſtituatur. 5 ¶ Papinianus libro vndecimo reſpondit:

SI prior creditor poſtea, nouatione facta, eadem pignora cum aliis accepit: in ſuum locum eum ſuccedere. ſed ſi ſecundus non offerat pecuniam: poſſe priorem vendere; vt primam tantùm pecuniam expenſam ferat. non etiam, quam poſtea credidit, & quod ſuperfluum ex anteriore credito accepit, hoc ſecundo reſtituat. 6 ¶ Sciendum eſt, ſecundo creditori rem teneri etiam inuito debitore, tam in ſuũ deVitum, quàm in primi creditoris, & in vſuras ſuas & quas primo creditori ſoluit. ſed tamen vſurarum, quas creditori primo ſoluit, vſuras non conſequetur. non enim negotium alterius geſsit, ſed magis ſuum. & ita Papinianus libro tertio reſponſorum ſcripſit: & verum eſt. 7 ¶ Si ſimpliciter conueniſſet ſecundus creditor de hypotheca, ab omni poſſeſſore eam auferre poterit, præter priorem creditorem, & qui ab eo emit. 8 ¶ A Titio mutuatus, pactus eſt cum illo, vt ei prædium ſuum pignori hypothecæve eſſet. deinde mutuatus eſt pecuniam à Mæuio: & pactus eſt cum eo, vt, ſi Titio deſierit prædium teneri, ei teneatur. tertius deinde aliquis dat mutuam pecuniam tibi, vt Titio ſolueres: & paciſcitur tecum, vt idem prædium ei pignori hypothecæve ſit, & locum eius ſubeat. num hic medius tertio potior eſt, qui pactus eſt, vt, Titio ſoluta pecunia, impleatur condicio? & tertius de ſua negligentia queri debeat? ſed tamen & hic tertius creditor ſecundo præferendus eſt.

9 ¶ Si tertius creditor pignora ſua diſtrahi permittit ad hoc, vt, priori pecunia ſoluta, in aliud pignus priori ſuccedat: ſucceſſurum eum, Papinianus libro vndecimo reſponſorum ſcripſit. & omnino ſecundus creditor nihil aliud iuris habet, niſi vt ſoluat priori, & loco eius ſuccedat.

10 ¶ Si priori hypotheca obligata ſit nihil verò de venditione conuenerit; poſterior verò de hypotheca vendenda conuenerit: verius eſt, priorem potiorem eſſe, nam & in pignore placet, ſi prior conuenerit de pignore, licèt poſteriori res tradatur, adhuc potiorem eſſe priorem.

23. *Paulus* libro 5. ad Plautium.

INſulam tibi vendidi: & dixi; prioris anni penſionẽ mihi, ſequentium tibi acceſſuram; pignorúmq; ab inquilino datorum ius, vtrumq; ſecuturum. Nerua, Proculus, niſi ad vtramq; penſionem pignora ſufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinere: quia nihil apertè dictum eſſet, an communiter ex omnibus pignoribus ſumma pro rata ſeruetur. ſi quid ſupereſſet, ad te. *Paulus*: Facti quæſtio eſt. ſed veriſimile eſt id actum, vt primam quamque penſionem pignorum cauſa ſequatur.

14. *Idem* libro 14. ad Plautium.

SI non dominus duobus eandem rem diuerſis tẽporibus pignerauerit, prior potior eſt. quámuis, ſi à diuerſis non dominis pignus accipiamus, poſſeſſor melior ſit.

15. *Idem* libro 68. ad Edictum.

ETiam ſuperficies in alieno ſolo poſita, pignori dari poteſt. ita tamen, vt prior cauſa ſit domini ſoli: ſi non ſoluatur ei ſolarium.

16. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

CLaudius Felix eundem fundum tribus obligauerat: Eutychianæ primùm, deinde Turboni, tertio loco alij creditori. cùm Eutychiana de iure ſuo doceret; ſuperata apud iudicem à tertio creditore, non prouocauerat. TurVo apud alium iudicem victus appellauerat. quærebatur, vtrùm tertius creditor etiam Turbonem ſuperare deberet, qui primam creditricẽ an, ea remota, Turbo tertium excluderet. planè cùm tertius creditor primum de ſua pecunia dimiſit: in locum eius ſubſtituitur in ea quantitate, quam ſuperiori exſoluit. fuerunt igitur, qui dicerent, hic quoq; tertium creditorem, potiorem eſſe debere. mihi nequaquam hoc iuſtum eſſe videbatur. pone, primam creditricem iudicio conueniſſe tertium creditorem: & exceptione, alióve quo modo à tertio ſuperatam. numquid aduerſus Turbonem, qui ſecundo loco crediderat, tertius creditor, qui primam vicit, exceptione rei iudicatæ vti poteſt? aut contrà; ſi poſt primum iudicium, in quo prima creditrix ſuperata eſt à tertio creditore, ſecundus creditor tertium optinuerit, poterit vti exceptione rei iudicatæ aduerſus primam creditricem? nullo modo, vt opinor. igitur nec tertius creditor ſucceſsit in eius locum, quem excluſit. nec inter alios res iudicata alij prodeſſe, aut nocere ſolet. ſed ſine præiudicio prioris ſententiæ totum ius alij creditori integrum relinquitur.

17. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

EVm, qui à debitore ſuo prędium obligatum cõparauit, eatenus tuendum, quatenus ad priorem creditorem ex pretio pecunia peruenit.

18. *Scæuola* libro 1. Reſponſorum.

LVcius Titius pecuniam mutuã dedit ſub vſuris, acceptis pignoribus; eidemq; debitori Mæuius ſub iiſdem pignoribus pecuniam dedit: quæro: an Titius non tantùm ſortis; & earum vſurarum nomine, quæ acceſſerunt, antequam Mæuius crederet: ſed etiam earum, quæ poſteA Ceſſerunt, potior eſſet. reſpondit, Lucium Titium in omne, quod ei debetur, potiorem eſſe.

19. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

MVlier in dotem dedit marito prædium pignori obligatum: & teſtamento maritum, & liberos ex eo natos, item ex alio, heredes inſtituit. creditor, cùm poſſet hæredes conuenire idoneos, ad fundum venit. quæro, an, ſi ei iuſtus poſſeſſor offerat, compellendus ſit ius nominis cedere. reſpondi: poſſe videri non iniuſtum poſtulare.

20. *Tryphoninus* libro 8. Diſputationum.

QVærebatur : ſi poſt primum contractum tuum antequàm aliam pecuniam tu crederes, eidem debitori Seius credidiſſet quinquaginta : & hyperocham huius rei, quæ tibi pignori data eſſet, debitor obligaſſet ; deinde tu eidem debitori crederes fortè quadraginta: quod plus eſt in pretio rei, quam primo credidiſti, vtrùm ei ob quinquaginta, an tibi in quadraginta cederet pignoris hyperocha. finge, Seium paratū eſſe offerre tibi ſummam primo ordine creditam. dixi, conſequens eſſe, vt Seius potior ſit in eo, quod amplius eſt in pignore: & oblata ab eo ſumma primo ordine credita, vſurarúmque eius, poſtponatur primus creditor in ſummam, quam poſtea eidem debitori credidit.

21. *Scæuola* libro 27. Digeſtorum.

TItius Seiæ ob ſummam, qua ex tutela ei condemnatus erat, obligauit pignori omnia bona ſua: quæ habebat, quæque habiturus eſſet: poſtea mutuatus à fiſco pecuniam, pignori ei res ſuas omnes obligauit, & intulit Seiæ partem debiti: & reliquam ſummam, nouatione facta, eidem promiſit : in qua obligatione ſimiliter, vt ſuprà, de pignore conuenit. quæſitum eſt; an Seia præferenda ſit fiſco & in illis rebus, quas Titius tempore prioris obligationis habuit: item in his rebus, quas poſt priorem obligationem adquiſiit, donec vniuerſum debitum ſuum conſequatur. reſpondit, nihil proponi, cur non ſit præferenda. 1 ¶ Negotiatori marmorum creditor ſub pignore lapidum. quorum pretia venditores ex pecunia creditoris acceperant, (numerauit.) idem debitor conductor horreorum Cæſaris fuit. ob quorū penſiones aliquot annis non ſolutas, procurator exactioni præpoſitus, ad lapidum venditionem officiū ſuum extendit, quæſitum eſt, an iure pignoris eos creditor retinere poſsit. reſpondit, ſecundùm ea, quæ proponentur, poſſe.

## DE DISTRACTIONE pignorum, & hypothecarum,

### TIT. V.

*Papinianus* libro 26. Quæſtionum.

CReditor; qui prædia pignori accepit ; & poſt alium creditorem, qui pignorum conuentionem ad bona debitoris contulit, ipſe quoq; ſimile pactū bonorum, ob alium, aut eundem contractum, interpoſuit; ante ſecundum creditorem dimiſſum, nullo iure cetera bona titulo pignoris vendidit. ſed ob eam rem in perſonam actio contra eum creditori, qui pignora ſua requirit, non competit. nec vtilis danda eſt. nec furti rerum mobilium gratia rectè conuenietur : quia propriam cauſam, ordinis errore ductus, perſecutus videtur. præſertim cùm alter creditor furto poſſeſsionem, quæ non fuit apud eum, non amiſerit. ad exhibendum quoq; fruſtra litem excipiet: quia neq; poſsidet, neq; dolo fecit, vt deſineret poſsidere. ſequitur, vt ſecundus creditor poſſeſſores interpellare debeat.

2. *Idem* libro 2. Reſponſorum.

FIdeiuſſor conuentus: officio iudicis adſecutus eſt, vt emptionis titulo prædium creditori pignori datum ſuſciperet. nihilominùs alteri creditori, qui poſtea ſub eodem pignore contraxit, offerendæ pecuniæ, quam fideiuſſor dependit, cum vſuris medij temporis, facultas erit. nam huiuſmodi venditio, transferendi pignoris cauſa, neceſsitate iuris fieri ſolet.

3. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

CVm prior creditor pignus iure cōuentionis vendidit, ſecundo creditori non ſupereſſe ius offerendæ pecuniæ, conuenit. 1 ¶ Si tamen debitor non interueniente creditore, pignus vendiderit; eiúſque pretium priori creditori ſoluerit. emptori poterit offerri, quod ad alium creditorem de nummis eius peruenit, & vſuræ medij temporis. nihil enim intereſt, debitor pignus datum vendidit, an denuo pignori obliget.

4. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

CVm ſoluendæ pecuniæ dies pacto profertur: conueniſſe videtur, ne prius vendendi pignoris poteſtas exerceatur.

5. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

CVm ſecundus creditor, oblata priori pecunia, in locum eius ſucceſſerit: venditionem, ob pecuniā ſolutam, & creditam, rectè facit. 1 ¶ Si ſecundus creditor, vel fideiuſſor, ſoluta pecunia, pignora ſusceperint: rectè eis offertur, quamuis emptionis titulo ea tenuerunt.

6. *Modeſtinus* libro 8. Regularum.

CVm poſterior creditor à priore pignus emit : nō tam adquirendi dominij, quàm ſeruandi pignoris ſui cauſa, intellegitur pecuniam dediſſe. & ideo offerri ei à debitore poteſt.

7. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

SI creditor pignus, vel hypothecam vendiderit hoc pacto vt liceat ſibi reddere pecuniam, & pignus recuperare: an, ſi paratus ſit debitor reddere pecuniam, conſequi id poſsit? & Iulianus libro vndecimo Digeſtorum ſcribit, rectè quidem diſtractum eſſe pignus. ceterùm agi poſſe cum creditore, vt ſi quas actiones habeat, eas cedat debitori. ſed quod Iulianus ſcribit in pignore, idē & circa hypothecam eſt.

1 ¶ Illud inſpiciendum eſt, an liceat debitori, ſi hypotheca venierit, pecunia ſoluta eam recuperare, & ſi quidem ita venierit, vt, ſi intra certum tempus à debitore pecunia ſoluta fuerit, emptio reſcindatur: intra illud tempus pecunia ſoluta, recipit hypothecam. ſi verò tempus præterit, aut ſi non eo pacto res venierit, non poteſt reſcindi venditio: niſi minor ſit annis vigintiquinq; debitor, aut pupillus, aut reipublicæ cauſa abſens, vel in aliqua earū cauſarum erit, ex quibus edicto ſuccurritur. 2 ¶ Quæritur ſi pactum ſit à creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus; quid iuris ſit; & an pactio nulla ſit talis, quaſi contra ius ſit poſita; ideóque veniri poſsit. & certum eſt, nullam eſſe venditionem: vt pactioni ſtetur.

8. *Modeſtinus* libro 4. Regularum.

CReditoris arbitrio permittitur, ex pignoribus ſibi obligatis, quibus velit, diſtractis, ad ſuum commodum peruenire.

9. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

QVæſitum eſt, ſi creditor ab emptore pignoris pretium ſeruare non potuiſſet, an debitor liberatus eſſet. putaui, ſi nulla culpa imputari creditori poſsit, manere debitorem obligatum : quia ex neceſsitate facta venditio non liberat debitorem, niſi pecunia percepta. 1 ¶ Pomponius autem lectionū libro ſecundo ita ſcribſit : Quod in pignoribus dandis adijci ſolet, vt, quo minùs pignus veniſſet, reliquum debitor redderet, ſuperuacuum eſt : quia ipſo iure ita ſe res habet, etiam non adiecto eo.

10. *Idem* libro 6. Reſponſorum.

ET ſi is, qui lege pignoris emit, ob euictionem rei redire ad venditorem non poteſt: tamen non eſſe audiendum creditorem, qui fundum vendidit, ſi velit eiuſdem rei ex alia cauſa quæſtionem mouere.

11. *Scæuola* libro 1. Reſponſorum.

ARbiter diuidendæ hereditatis, cùm corpora hereditaria dimiſiſſet, nomina quoq; communiū debitorum ſeparatim ſingulis in ſolidū adſignauit. quæſitum eſt, an, debitoribus ceſſantibus, pro ſolido pignus vendere quiſq; poteſt. reſpondi, poſſe.

12. *Tryphoninus* libro 8. Diſputationum.

REſcriptum eſt ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem à debitore pignus emere



emere poſſe: quia in dominio manet debitoris.

1 ¶ Si aliena res pignori data fuerit, & creditor eam vendiderit: videamus, an pretium, quod percepit creditor, liberet debitorem perſonali actione pecuniæ creditæ. quod verè reſponderetur, ſi ea lege vendidit, ne euictionis nomine obligaretur. quia ex contractu, & qualiquali obligatione à debitore interpoſita, certè ex occaſione eius redactum id pretium æquius proficeret debitori, quam creditoris lucro cederet. ſed quantum quidem ad creditorem, debitor liberatur quantum vero ad dominū rei, ſi nec ipſi pignus euictum eſt: vel ad emptorē, poſt euictionem: ipſi debitor vtili actione tenetur, ne ex aliena iactura ſibi lucrum adquirat. nam & ſi maiores fructus forte petens à poſſeſſore creditor abſtulit, vniuerſos in quantitatem debitā accepto ferre debebit. & cum per iniuriam iudicis domino rem, quæ debitoris non fuiſſet, abſtuliſſet, creditor, quaſi obligatam ſibi, & quæreretur, an, ſoluto debito, reſtitui eam oporteret debitori: Scæuola noſter reſtituendam probabit. Quod ſi non ita vendidit, vt certum ſit, omnimodo apud eum pretium remanſurum, verùm obligatus eſt ad id reſtituendum: arbitror interim quidem nihil a debitore peti poſſe. ſed in ſuſpenſo haberi liberationem. verum, ſi actione ex empto conuentus præſtitiſſet creditor emptori, debitum perſequi eum à debitore poſſe: quia apparuit, non eſſe liberatum.

13. *Paulus* libro 1 Decretorum.

CReditor, qui iure ſuo pignus diſtrahit, ius ſuū cedere debet. & , ſi pignus poſsidet, tradere vtique debet poſſeſſionem.

14. *Scæuola* libro 6. Digeſtorum.

ARbitri diuidundæ hereditatis, inter heredes cū corpora hereditaria diuiſiſſent, nomina quoque communium debitorum ſeparatim diuerſa ſingulis in ſolidum adſignauerunt. quæſitum eſt, an vnuſquiſque eorum, debitore ſibi addicto ceſſante in ſolutione pro ſoluendo pignus ſub eo nomine obligatum vendere poſſit. reſpondit, potuiſſe.

## QVIBVS MODIS PIGNVS, VEL HYPOTHECA SOLVITVR.

### TIT. VI.

*Papinianus* libro 11. Reſponſorum.

DEbitoris abſentis amicus, negotia geſsit, & pignora citra emptionem pecunia ſua liberauit. ius priſtinum domino reſtitutum videtur. igitur qui negotium geſſit, vtilem Seruianam dari ſibi non rectè deſiderauit. ſi tamen poſſideat, exceptione non defenditur. 1 ¶ Cùm venditor, numerata ſibi parte pretij, prædium, quod venierat, pignori accepiſſet: ac poſtea reſiduum pretium emptori, literis ad eum miſſis, donaſſet : eóque defuncto, donationem quibuſdam modis inutilem eſſe conſtabat: iure pignoris fiſcū fruſtra petere prædiū, qui ſucceſſerat in locum venditoris, apparuit: cuius pignoris ſolutum eſſe pactum prima voluntate donationis conſtabat quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit: cui non eſt locus in pignore liberando. 2 ¶ Defenſor abſentis cautionem iudicatum ſolui præſtitit. in dominū iudicio poſt ea tranſlato, fideiuſſores ob rem iudicatam, quos defenſor dedit, non tenebuntur : nec pignora, quæ dederunt.

2. *Gaius* libro 9. ad Edictum Prouinciale.

SI creditor Seruiana actione pignus à poſſeſſore petierit, & poſſeſſor litis æſtimationem obtulerit, & ab eo debitor rem vindicet : non aliter hoc facere concedetur, niſi prius ei debitum offerat.

3. *Vlpianus* libro 8. Diſputationum.

SI res diſtracta fuerit ſic, niſi intra certum diem meliorem condicionem inueniſſet, fueritque tradita: & forte emptor, antequàm melior condicio offeretur, hanc rem pignori dediſſet: Marcellus libro quinto digeſtorum ait, finiri pignus, ſi melior condicio fuerit allata: quamquàm vbi ſic res diſtracta eſt, niſi emptori diſplicuiſſet : pignus finiri non putet.

4. *Idem* libro 73. ad Edictum.

SI debitor, cuius res pignori obligatæ erant, ſeruum, quem emerat, redhibuerit: an deſinat Seruianæ locus eſſe? & magis eſt, ne deſinat: niſi ex voluntate creditoris hoc factum eſt.

1 ¶ Si in venditione pignoris conſenſerit creditor, vel vt debitor hanc rem permutet, vt donet, vel in dotem det: dicendum erit, pignus liberari: niſi ſalua cauſa pignoris ſui conſenſit, vel venditioni, vel ceteris: nam ſolent multi ſalua cauſa pignoris ſui conſentire. Sed & ſi ipſe vēdiderit creditor: ſic tamen venditionem fecit, ne diſcederet à pignore, niſi ei ſatisfiat: dicendum erit, exceptionem ei non nocere. Sed & ſi non conceſſerat pignus venumdari, ſed ratam habuit venditionem: idem erit probandum.

2 ¶ Bellè quæritur, ſi forte venditio rei ſpecialiter obligatæ non valeat, an nocere hæc res creditori debeat, quod conſenſit. vtputa ſi qua ratio iuris venditionem impediat. dicendum eſt pignus valere

5. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

SOluitur hypotheca: & ſi ab ea diſcedatur, aut paciſcatur creditor, ne pecuniam petat : niſi ſi quis dicat, pactum interpoſitum eſſe, vt à perſona non petatur. & quid, ſi hoc actum ſit, cùm forte alius hypothecam poſſidebit.: ſed cum pactum conuentum in exceptionem perpetuam pariat, eadem & in hoc caſu poſſunt dici, vt & ab hypotheca diſcedatur.

1 ¶ Si paciſcatur creditor, ne intra annum pecuniam petat : intellegitur de hypotheca quoque idem pactus eſſe.

2 ¶ Si conuenerit, vt pro hypotheca fideiuſſor daretur, & datus ſit : ſatisfactum videbitur, vt hypotheca liberetur. Aliud eſt, ſi ius obligationis vendiderit creditor, & pecuniam acceperit. tunc enim manent omnes obligationes integræ : quia pretij loco id accipitur, non ſolutionis nomine 3 ¶ Satiſfactum eſſe creditori intellegitur: & ſi iuſiurandum delatum datum eſt, hypothecam non eſſe rem obligatam.

6. *Vlpianus* libro 73. ad Edictum.

ITem liberatur pignus, ſiue ſolutum eſt debitum, ſiue eo nomine ſatiſfactum eſt. ſed & ſi tempore finitum pignus eſt, idem dicere debemus : vel ſi qua ratione obligatio eius finita eſt. 1 ¶ Qui paratus eſt ſoluere, meritò pignus videtur liberaſſe, qui verò non ſoluere, ſed ſatisfacere paratus eſt, in diuerſa cauſa eſt. ergo ſatiſfeciſſe prodeſt: quia ſibi imputare debet creditor, qui ſatiſfactionem admiſit vice ſolutionis. at qui nō admittit ſatisfactionem, ſed ſolutionem deſiderat, culpandus non eſt. 2 ¶ In ſatiſdatione autem non vtimur Atilicini ſententia: qui putabat, ſi ſatiſdetur alicui certæ pecuniæ, recedere eum a pignoribus debere.

7. *Gaius* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

SI conſenſit venditioni creditor, liberatur hypotheca. ſed in his pupilli conſenſus non debet aliter ratus haberi, quàm ſi præſente tutore auctore conſenſerit, aut etiam ipſe tutor : ſcilicet ſi commodum aliquid, vel ſatis ei fieri ex eo iudex æſtimauerit. 1 ¶ VideVimus, ſi procurator omnium bonorum conſenſit, vel ſeruus actor, cui & ſolui poteſt, & in id poſitus eſt: an teneat conſenſus eorum, & dicendum eſt non poſſe: niſi ſpecialiter hoc eis mandatum eſt.

2 ¶ Sed ſi cum debitoris procuratore conuenit, ne ſit res obligata, dicendum eſt, id debitori per

doli exceptionem prodeſſe. Cùm autem cum ſeruo eius conuenerit, per ipſam pacti cõuenti exceptionem debet. 3 ¶ Si conuenit de parte pro indiuiſo alienanda: ſi certa res eſt, quæ venit: poteſt dici, de reliqua parte ab initio agi oportere. nec obſtat exceptio. 4 ¶ Illud tenendum eſt, ſi quis communis rei partem pro indiuiſo dederit hypothecæ diuiſione facta cum ſocio, non vtique eam partem creditori obligatam eſſe, quæ ei obtingit, qui pignori dedit. ſed vtriuſque pars pro indiuiſo pro parte dimidia manebit obligata.

8. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

SIcut re corporali extincta, ita & vſufructu extincto, pignus hypothecáve perit.

1 ¶ Creditor ne pignori hypothecæve ſit res, paciſci poteſt. & ideo ſi heredi pactus fuerit, ei quoque proderit pactum, cui reſtituit hereditatem ex ſenatuſconſulto Trebelliano. 2 ¶ Si procurator debitoris in rem ſuam ſit: non puto dubitari debere, quin pactum noceat creditori. Itémque ſi à parte creditoris procurator in rem ſuam exſtiterit, paciſcendo inutilem ſibi faciet hypothecariam actionem. in tantum, vt putem rectè dici, & dominis litis hoc caſu nocere hanc exceptionem.

3 ¶ Si conuenerit, ne pars dimidia pro indiuiſo pignori ſit: quæcumque fundi eius pars à quolibet poſſeſſore petatur, dimidia non rectè petetur.

4 ¶ Si plures dederint pro indiuiſo, & cum vno creditor paciſcatur, ne hypothecæ ſit, deinde ab eo petat: etiam ſi hic, cum quo pactus eſt, ſolidũ fundum poſſideat pro indiuiſo: quia de parte conuenisſet: non repellit eum à toto. 5 ¶ An paciſci poſſunt filiusfamilias, & ſeruus, ne res pignori ſit, quam peculiariter hypothecam acceperint, & habent liberam adminiſtrationem, videamus: an quemadmodum donare non poſſunt, ita nec paciſci, ne pignori ſit, poſſint ſed dicendum eſt, vt concedere poſſint: ſcilicet ſi pretium pro pactione accipiant: quaſi vendant.

6 ¶ Si voluntate creditoris fundus alienatus eſt: inuerecundè, applicari ſibi eum, creditor deſiderat ſi tamen effectus ſit ſecutus venditionis. nam ſi non venierit, non eſt ſatis ad repellendum creditorem, quod voluit venire. 7 ¶ Superuacuum eſt quærere, agrum ſpecialiter hypothecæ datum, permiſſu creditoris veniſſe, ſi ipſe debitor re poſſideat. niſi quod poteſt fieri, vt debitor permiſſu creditoris vẽdiderit, deinde poſtea bona fide redemerit ab eodem, vel ab alio, ad quem per ſucceſſionem ea res pertinere cœpiſſet. aut ſi ipſe debitor emptori heres exſtiterit. verumtamen, cùm pecunia ſoluta non ſit, doli mali ſuſpicio inerit, tranſlata ad præſens tempus, vt poſſit creditor replicationem doli mali obiicere.

8 ¶ Illud videamus: ſi Titius debitor voluntate creditoris ſui vendiderit Mæuio, vel ei, à quo Mæuius emerit: & poſtea Mæuius Titio heres exſtiterit, & creditor ab eo petat: quid iuris ſit. ſed iniquum eſt, auferri ei rem à creditore, qui non ſucceſſionis iure, ſed alio modo rem nactus eſt. poteſt tamen dici: cùm Titii dolus in re verſaretur, ne creditor à poſſeſſore pecuniam recipiat: iniquiſſimum eſſe, ludificari eum.

9 ¶ Quòd ſi is fundus à Mæuio alicui obligatus poſſideatur, cui nondum ſatisfactum erit: tunc rurſus æquum erit excipi, *Si non voluntate creditoris venijt*, licèt enim dolus malus debitoris interueniat, qui non ſoluit: tamen ſecundus creditor, qui pignori accepit, potior eſt. 10 ¶ Tutius tamen eſt, ſi debitor à creditore petat, vt ei permittat pignus vendere, quò magis ſatisfaciat, antè cautionem accipere ab eo qui rem, empturus erit, vt pretium rei venditæ vſque ad ſummam debiti creditori ſoluatur. 11 ¶ Venditionis autem appellationem generaliter accipere debemus: vt, & ſi legare permiſit, valeat, quod conceſſit. quod ita intellegemus, vt &, ſi legatum repudiatum fuerit, conualeſcat pignus.

12 ¶ Si debitor vendiderit rem, nec tradiderit: an non repellatur creditor, quaſi adhuc res in bonis ſit debitoris, an verò, cùm teneatur ex empto, pignus extinguatur, quod & magis eſt. ſed quid, ſi pretium venditor conſecutus non ſit, nec paratus ſit emptor dare: tantundem poteſt dici.

13 ¶ Sed ſi permiſerit creditor vendere, debitor verò donauerit, an exceptione illum ſummoueat: an facti ſit magis quæſtio: nunquid ideo veniri voluit, vt, pretio, accepto, ipſi quoque res expediat: quo caſu non nocebit conſenſus. Quòd ſi in dotem dederit, vẽdidiſſe in hoc caſu rectè videtur, propter onera matrimonij. In contrarium, ſi conceſſit donare, & vendiderit debitor: repelletur creditor: niſi ſi quis dicat, ideo conceſſiſſe donari, quòd amicus erat creditoriis, cui donabatur.

14 ¶ Quòd ſi conceſſerit decem vendere, ille quinque vendiderit, dicendum eſt, non eſſe repellendum creditorem. in contrarium non erit quærendum, quin rectè vendit, ſi pluris vendiderit, quã conceſſit creditor. 15 ¶ Non videtur autem conſenſiſſe creditor, ſi, ſciente eo, debitor rem vendiderit: cùm ideò paſſus eſt venire, quod ſciebat, vbique pignus ſibi durare. ſed ſi ſubſcripſerit forte in tabulis emptionis, conſenſiſſe videtur: niſi manifeſtè appareat, deceptum eſſe quod obſeruari oportet, & ſi ſine ſcriptis conſenſerit. 16 ¶ Si debitori conceſſum ſit, & heres eius vendiderit: poteſt facti quæſtio eſſe, quid intellexit creditor. ſed rectè veniſſe dicendum eſt. hæ enim ſubtilitates ab iudicibus non admittuntur.

17 ¶ Si debitor forte conceſſa venditione, deſierit poſſidere, & nouus poſſeſſor vendiderit: an duret pignus, quaſi perſonæ permiſerit creditor? quod & magis eſt. nam ſi nouo poſſeſſori, non debitori, à quo hypothecam accepit, conceſſit creditor vendere, dicendum eſt, nocere ei exceptionem.

18 ¶ Sed ſi intra annum, aut biennium conſenſerit creditor vendere: poſt hoc tempus vendendo, non aufert pignus creditori. 19 ¶ Si creditor hypothecaria vſus, à poſſeſſore litis æſtimationem conſecutus fuerit, & à debitore petat debitum: puto, doli mali exceptionem ei obſtaturam.

9. *Modeſtinus* libro 4. Reſponſorum.

TItius Sempronio fundum pignori dedit: & eũdẽ fundũ poſtea Gaio Seio pignori dedit: atque ita idem Titius Sempronio, & Gaio Seio fundum eundem in aſſem vendidit, quibus pignori ante dederat in ſolidum ſingulis. quæro an venditione interpoſita, ius pignoris exſtinctum ſit, an per hoc ius ſolum emptionis apud ambos permanſerit. Modeſtinus reſpondit dominium ad eos, de quibus quæritur emptionis iure pertinere: cùm conſenſum mutuò venditioni dediſſe proponantur, inuicem pigneraticiam actionem eos nõ habere. 1 ¶ Titius Seio pecuniam ſub pignore fundi dederat. qui fundus cùm eſſet reipublicæ ante obligatus, ſecundùs creditor pecuniam reipublicæ eam ſoluit. ſed Mæuius exſtitit, qui dicebat, ante rempublicam ſibi fundum obligatum fuiſſe. inueniebatur autem Mæuius inſtrumento cautionis cum republica facto à Seio, interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe: quo cauerat Seius, fundum nulli alij eſſe obligatum. quæro, an actio aliqua in rem Mæuio competere poteſt. Modeſtinus reſpondit, pignus, cui is, de quo quæritur, conſenſit, minime eum retinere poſſe.

10. *Paulus* libro 3. Quæſtionum.

VOluntatis creditoris pignus debitor vendidit: & poſt ea placuit inter eum & emptorem, vt à



venditione diſcederent. ius pignorum ſaluum erit creditori. nam ſicut debitori, ita & creditori priſtinũ ius reſtituitur: neque omnimodo creditor pignus remittit: ſed ita demum ſi emptor rem retineat, nec reddat venditori. & ideo, ſi iudicio quoque acceptó, venditor abſolutus ſit: vel, quia non tradebat; in id quod intereſt, condemnatus: ſaluum fore pignus creditori, dicendum eſt hæc enim accidere potuiſſent etiam ſi non voluntate creditoris vendidiſſet.

1 ¶ Creditor quoque ſi pignus diſtraxit, & ex venditione receſſum fuerit, vel homo redhibitus: dominium ad debitorem reuertitur. Idemque eſt in omnibus, quibus conceſſum eſt, rem alienam, vendere: non enim, quia dominium transferunt, ideo ab emptore ius eius recipiunt: ſed in priſtinam cauſam recredit, reſoluta venditione.

11. *Idem* libro 4. Reſponſorum.

LVcius Titius: cùm eſſet vxori ſuæ Gaiæ Seię debitor ſub pignore, ſiue hypotheca prædiorum: eadem prædia cum vxore ſua, Seiæ Septiciæ communis filiæ nomine, Sempronio marito eius futuro in dotem dedit; poſtea, defuncto Lucio Titio, Septicia filia abſtinuit ſe hereditate paterna. quæro, an mater eius hypothecam perſequi poſſit. Paulus reſpondit pignoris quidem obligationẽ prædiorum Gaiam Seiam, quæ viro pro filia communi in dotem eadem danti conſenſit, cùm communis filiæ nomine darentur, remiſiſſe videri; obligationem autem perſonalem perſeueraſſe; ſed aduerſus eam, quæ patris hereditate ſe abſtinuit, actionem non eſſe dandam.

12. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

PAulus reſpondit Sempronium antiquiorem creditorem cõſentientem, cùm debitor eandem rem tertio creditori obligaret, ius ſuum pignoris remiſiſſe videri; non etiam tertium in locum eius ſucceſſiſſe; & ideo medij creditoris meliorem cauſam effectam. Idem obſeruandum eſt, & ſi reſpublica tertio loco crediderit. 1 ¶ Qui pignoris iure rem perſequuntur, à vindicatione rei eos remoueri ſolere, ſi qualiſcumque poſſeſſor offerre vellet. neque enim debet quæri de iure poſſeſſoris; cùm ius petitoris remoueatur, ſoluto pignore.

13. *Tryphoninus* libro 8. Diſputationum.

SI deferente creditore iurauit debitor, ſe dare non oportere: pignus liberatur: quia perinde habetur, atque ſi iudicio abſolutus eſſet. nam & ſi à iudice, quamuis per iniuriam: abſolutus ſit debitor, tamen pignus liberatur.

14. *Labeo* libro 5. Poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum.

CVm colono tibi conuenit; vt inuecta, importata pignori eſſent, donec merces tibi ſoluta, aut ſatisfactum eſſet; deinde mercedis nomine fideiuſſorem à colono accepiſti. ſatisfactum tibi videri exiſtimo: & ideo illata pignori eſſe deſiſſe.

15. *Scæuola* libro 6. Digeſtorum.

PRimi creditoris, qui pignori prædia acceperat; & poſterioris, cui quidam ex iſdem fundis dati erãt, ad eandem perſonam hereditas deuenerat: debitor offerebat, quantũ à poſteriore creditore mutuatus fuerat; reſpondit, cogendum accipere ſaluò iure pignoris prioris contractus.

# LIBER VICESIMVS PRIMVS.

## DE ÆDILICIO EDICTO, ET REDHIBITIONE, ET quanti minoris.

*Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

LABEO ſcribit, edictum ædilium curulium de venditionibus rerum eſſe: tam earum, quæ ſoli ſint; quàm earum, quæ mobiles, aut ſé mouentes.

1 ¶ Aiunt ædiles: *Qui mãcipia vendunt, certiores faciant emptores: quid morbi, vitiive cuique ſit: quis fugitiuus erróve ſit, noxáve ſolutus non ſit. Eadémque omnia, cùm ea mancipia venibunt, palam rectè pronunciato. Quod ſi mancipium aduerſus ea veniſſet, ſiue aduerſus quod dictũ promiſſúmve fuerit, cùm veniret, fuiſſet: quod eius præſtari oportere dicetur: emptori, omnibúſque, ad quos ea res pertinet, iudicium dabimus, vt id mancipium redhibeatur.* 2 *Si quid autem poſt venditionem, traditionémque deterius, emptoris opera, familiæ, procuratoriſve eius, factum erit ſiue quid ex eo poſt venditionem natum, adquiſitum fuerit, & ſi quid aliud in venditione ei acceſſerit: ſiue quid ex ea re fructus peruenerit ad emptorem: vt ea omnia reſtituat. item, ſi quas acceſſiones ipſe præſtiterit, vt recipiat.* 3 *Item ſi quod mãcipium capitalem fraudem admiſerit: mortis conſciſcendæ ſibi cauſa quid fecerit: inve harenam depugnandi cauſa ad beſtias intromiſſus fuerit: ea omnia in venditione pronunciato. Ex his enim cauſis iudicium dabimus. hoc amplius, ſi quis aduerſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe dicetur, iudicium dabimus.* 2 ¶ Cauſa huius edicti proponendi eſt, vt occurratur fallaciis vendentium: & emptoribus ſuccurratur, quicumque decepti à venditoribus fuerint: dummodo ſciamus venditorem, etiam ſi ignorauit ea, quæ ædiles præſtari iubent, tamen teneri debere. nec eſt hoc iniquum. potuit enim ea nota habere venditor. neque enim intereſt emptoris, cur fallatur, ignorãtia venditoris, an calliditate. 3 ¶ Illud ſciendum eſt, edictum hoc non pertinere ad venditiones fiſcales. 4 ¶ Si tamen reſpublica aliqua faciat venditionẽm, edictum hoc locum habebit.

5 ¶ In pupillaribus quoque venditionibus erit edicto locus. 6 ¶ Si intellegatur vitium, morbúſue mancipij, vt plerumque ſignis quibuſdam ſolent demonſtrare vitia: poteſt dici, edictum ceſſare. hoc enim tantum intuendum eſt, ne emptor decipiatur.

7 ¶ Sed ſciendum eſt, morbum apud Sabinum ſic definitum eſſe: habitum cuiuſque corporis contra naturam, qui vſum eius ad id facit deteriorem, cuius cauſa natura nobis eius corporis ſanitatem dedit. id autem alias in toto corpore, aliás in parte accideret. namque totius corporis morbus eſt: puta φθίσις, id eſt, *tabes*, febris: partis, veluti cæcitas: licèt homo itaque natus ſit. vitium que à morbo multum differret: vt puta, ſi quis balbus ſit. nam hunc vitioſum magis eſſe, quàm morboſum. Egò puto, ædiles tollendæ dubitationis gratia bis κατὰ τοῦ αὐτοῦ. id eſt, de eodem, idem dixiſſe, ne qua dubitatio ſupereſſet.

8 ¶ Proinde, ſi quid tale fuerit vitij, ſiue morbi, quod vſum miniſteriúmque hominis impediat: id dabit redhibitioni locum: dummodo meminerimus, non vtique quodlibet quàm leuiſſimum efficere, vt morboſus vitioſúſve habeatur. proinde leuis febricula, aut vetus quartana, quæ tamen iám ſperni poteſt, vel vulnuſculum modicum, nullum habet in ſe delictum, quaſi pronunciatum non ſit. contemni enim hæc potuerunt. Exempli itaque gratia referamus, qui morboſi vitioſique ſunt. Apud Viuianũ quæritur, ſi ſeruus inter fanaticos non ſemper caput iactaret: & aliqua profatus eſſet, an nihilominus ſanus videretur. & ait Viuianus, nihilominus hunc ſanum eſſe. neque enim nos (inquit) minus animi vitiis aliquos ſanos eſſe intellegere debere. alioquin (inquit) futurum, vt in infinito hac ratione multos ſanos eſſe negaremus. vtputa leuem, ſuperſtitioſum, iracundum, contumacem; & ſi qua ſimilia ſunt animi vitia. magis enim de corporis ſanitate quàm de animi vitiis promitti. interdum tamen

in quit, vitium corporale vſque ad animum peruenire,& eum vitiare. veluti contingeret φρενητικῷ *id eſt, mente capto*: quia id ei ex febribus acciderit. quid ergo eſt? ſi quid ſit animi vitium tale, vt id à venditore excipi oporteret; neque id venditor, cùm ſciret pronunciaſſet: ex empto eum teneri.

10 ¶ Idem Viuianus ait, quamuis aliquando quis circa fana Vacchatus ſit,& reſponſa reddiderit: tamen ſi nunc hoc non faciat, nullum vitium eſſe. neque eo nomine; quòd aliquando id fecit, actio eſt: ſicuti, ſi aliquando febrem habuit. ceterùm, ſi nihilominùs permaneret in eo vitio, vt circa fana Vacchari ſoleret, & quaſi demens reſponſa daret: etiam ſi per luxOriam id factum eſt, vitium tamen eſſe: ſed vitium animi, non corporis. ideóque redhiberi non poſſe: quoniam ædiles de corporalibus vitiis loquuntur: attamen ex empto actionem admittit.

11 ¶ Idem dicit etiam in his, qui præter modum timidi, cupidi, auariquo ſunt, aut iracundi,

2. *Paulus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

VEl melancholici,

3. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

VEl proterui, vel gibberoſi, vel curui, vel pruriginoſi, vel ſcabioſi: item muti,& ſurdi.

4. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

OB quæ vitia negat redhibitionem eſſe, ex empto dat actionem. 1 ¶ Sed ſi vitium corporis vſque ad animum penetrat, fortè ſi propter febrem loquantur aliena, vel qui per vicos more inſanorum deridenda loquantur: in quo ſit animi vitium, ex corporis vitio accidit: redhiberi poſſe.

2 ¶ Item aleatores, & vinarios non contineri edicto; quoſdam reſpondiſſe, Pomponius ait. quemadmodum nec guloſos, nec impoſtores, aut mendaces, aut litigioſos. 3 ¶ Idem Pomponius ait: quamuis non validè ſapientem ſeruum venditor præſtare debeat: tamen; ſi ita fatuum, vel morionem vendiderit, vt in eo vſus nullus ſit: videri vitium.& videmur hoc iure vti, vt vitij, morVique appellatio non videatur pertinere, niſi ad corpora. animi autem vitium ita demum præſtabit Venditor, ſi promiſit: ſi minùs, non. & ideo nominatim de errone, & fugitiuo excipitur. hoc enim animi vitium eſt, non corporis. vnde quidam iumenta pauida, & calcitroſa morboſis non eſſe adnumeranda dixerunt. animi enim, non corporis hoc vitium eſſe. 4 ¶ In ſumma, ſi quidem animi tantùm vitium eſt, redhiberi non poteſt. niſi ſi dictum eſt, hoc abeſſe; & non abeſt. ex empto tamen agi poteſt, ſi ſciens id vitium animi reticuit. ſi autem corporis ſolius vitium eſt; aut & corporis, & animi mixtum vitium: redhibitio locum habebit.

5 ¶ Illud erit adnotandum, quòd de morbo generaliter ſcriptum eſt, non de ſontico morbo. nec mirum hoc videri Pomponius ait. nihil enim ibi agitur de ea re, Qui hic ipſe morbus obſtet.

6 ¶ Idem ait, non omnem morbum dare locum redhibitioni: vtputa leuis lippitudo, aut leuis dentis, auriculæue dolor, aut mediocre vlcus. non denique febriculam quantulamlibet ad cauſam huius edicti pertinere.

5. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

ET quantum intereſt inter hæc vitia, quæ Græci κακοηθίαν, *id eſt, vitioſitatem*, dicunt, intérque πάθος, *id eſt, perturbationem*, aut νόσον, *id eſt, morbum*, aut ἀῤῥωστίαν, *id eſt, ægrotationem*: tantum inter alia vitia,& eum morbum, ex quo quis minùs aptus vſui ſit, differt.

6. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

POmponius rectè ait, non tantùm ad perpetuos moabos, verùm ad temporarios quoque hoc edictum pertinere.

1 ¶ Trebatius ait, impetiginoſum morboſum non eſſe: ſi eo membro, vbi impetigo eſſet, æquè rectè vtatur. & mihi videtur vera Trebatij ſententia.

2 ¶ Spadonem morboſum non eſſe, neque vitioſum, verius mihi videtur; ſed ſanum eſſe: ſicuti illū, qui vnum teſticulum habet, qui etiam generare poteſt.

7. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

SIn autem quis ita ſpado eſt, vt tam neceſſaria pars corporis & penitus abſit, morboſus eſt.

8. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SI cui lingua abſciſa ſit, an ſanus eſſe videatur, quæritur. & extat hæc quæſtio apud Ofilium, relata apud eum in equo. ait enim, hunc videri non eſſe ſanum.

9. *Idem* libro 44. ad Sabinum.

MVtum morboſum eſſe, Sabinus ait. morbum enim eſſe, ſine voce eſſe; apparet. ſed qui grauiter loquitur, morboſus non eſt. nec qui [illegible], *id eſt, obſcurè* planè qui [illegible], *id eſt, ſine vlla ſignificatione vocis*, loquitur, hic vtique morboſus eſt.

10. *Idem* libro 3. ad Edictum ædilium curulium.

IDem Ofilius ait, ſi homini digitus ſit abſciſus, membríve quid laceratum; quamuis conſanauerit, ſi tamen ob eam rem eo minus vti poſſit, non videri ſanum eſſe. 1 ¶ Catonem quoque ſcribere lego, cui digitus de manu, aut de pede præciſus ſit, eū morboſum eſſe. quod verum eſt ſecundum ſuprà ſcriptam diſtinctionem. 2 ¶ Sed ſi quis plures digitos habeat, ſiue in manibus, ſiue in pedibus; ſi nihil impeditur numero eorum, non eſt in cauſa redhibitionis. propter quod non illud ſpectandum eſt, quis numerus ſit digitorum: ſed an ſine impedimento, vel pluribus, vel paucioribus vti poſſit. 3 ¶ De myope, quæſitum eſt, an ſanus eſſet. & puto, eum redhiberi poſſe. 4 ¶ Sed & νυκτάλωπα, *id eſt, luſcitioſum*, morboſum eſſe cōſtat: id eſt, vbi homo neq; matutino tēpore videt, neq; veſpertino quod genus morbi Græci vocant νυκτάλωπα. Luſcitionem eam eſſe quidā putant: vbi homo, lumine adhibito, nihil videt.

5 ¶ Quæſitum eſt, an ValVus.& blæſus, & atypus, iſque qui tardius loquitur, & varus, & vatius, ſanus ſit. & opinor, eos ſanos eſſe.

11. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

CVi dens abeſt, non eſt morboſus. magna enim pars hominum aliquo dente caret, neque ideo morboſi ſunt; præſertim cùm ſine dētibus naſcimur: nec ideo minùs ſani ſumus. donec dentes habeamus. alioquin nullus ſenex ſanus eſſet.

12. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

QVi claBum habet, morboſus eſt. ſed & polVpoſus. 1 ¶ Eum, qui alterum oculum, aut alteram maxillam maiorem habet, ſi rectè iis vtatur, ſanum videri, Pedius ſcribit. ait enim, inæqualitatem maxillarum, oculorum, bracchiorum ſi nihil ex miniſterio præſtando ſubtrahit, extra redhibitionem eſſe. ſed & latus, vel crus breuius poteſt adferre impedimentum. ergo & hic erit redhibendus.

2 ¶ Si quis natura gutturoſus ſit, aut oculos eminentes habeat, ſanus videtur. 3 ¶ Item ſciendum eſt, ſcæuam non eſſe morboſum vel vitioſum, præterquàm ſi inVecillitate dextræ validiùs ſiniſtra vtitur. ſed hunc non ſcæuam, ſed mancum eſſe.

4 ¶ Is, cui os oleat, an ſanus ſit, quæſitum eſt. Trebatius ait, non eſſe morboſum, os alicui olere. veluti hircoſum, ſtrabonem. hoc enim ex illuBie oris accidere ſolere. ſi tamen ex corporis vitio id accidit; veluti quod iecur, quod pulmo, aut aliud quid ſimiliter dolet, morboſus eſt.

13. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

ITem clodus morboſus eſt.

14. *Vlpianus* lib. 1. ad Edictum ædilium curulium.

QVæritur de ea muliere, quæ ſemper mortuos parit, an morboſa ſit. & ait Sabinus. ſi



vuluæ vitio hoc contingit, morboſam eſſe.

1 ¶ Si mulier prægnas venierit: inter omnes conuenit, ſanam eam eſſe. maximum enim, ac præcipuum munus feminarum eſt, accipere, ac tueri conceptum.

2 ¶ Puerperam quoq; ſanam eſſe; ſi modò nihil extrinſecus accidit, quod corpus eius in aliquam valetudinem immitteret.

3 ¶ De ſterili Cælius diſtinguere Trebatium dicit; vt, ſi natura ſterilis ſit, ſana ſit; ſi vitio corporis, contrà.

4 ¶ Item de eo, qui vrinam facit, quæritur.& Pedius ait, non ob eam rem ſanum non eſſe, quòd in lecto ſomno vinoq; preſſus, aut etiam pigritia ſurgendi, vrinam faciat. ſin autem vitio veſicæ collectū vmorem continere non poteſt: non quia vrinam in lecto facit, ſed quia vitioſam veſicam habet; redhiberi poſſe, & verius eſt.

5 ¶ Quod Pedius idem ait, ſi vua alicuius præciſa ſit; tollere magis, quàm præſtare redhibitionem, quod morbus minuitur: ego puto, ſi morbus deſinit, non eſſe redhibitioni locum: ſin autem vitium peſeuerere: redhibitionem locum habere.

6 ¶ Si quis digitis coniunctis naſcatur, non videtur ſanus eſſe: ſed ita demum, ſi incommodatur, ad vſum manus.

7 ¶ Mulierem ita artam, vt mulier fieri non poſſit: ſanam non videri, conſtat,

8 ¶ Si quis ἀντιάδας, id eſt, *tonſillas*, habeat: an redhiberi, quaſi vitioſus, poſſit, quæritur.& ſi ἀντιάδες, id eſt, *tonſillæ*, hæ ſunt, quas exiſtimo; id eſt, inueteratas, &, qui iam diſcuti non poſsint, fauciū tumores: qui ἀντιάδας, id eſt, *tonſillas*, habet, vitioſus eſt.

9 ¶ Si venditor nominatim exceperit de aliquo morbo; & de cetero ſanum eſſe dixerit, aut promiſerit: ſtandum eſt eo, quod conuenit. remittentibus enim actiones ſuas non eſt regreſſus dandus: niſi ſciens venditor morbum, conſultò reticuit. tunc enim dandam eſſe de dolo malo replicationem.

10 ¶ Si nominatim morbus exceptus non ſit; talis tamen morbus ſit, qui omnibus potuit apparere: vtputa cæcus homo venibat; aut qui cicatricem euidentem, & periculoſam habebat, vel in capite, vel in alia parte corporis, eius nomine non teneri, Cæcilius ait: perinde ac ſi nominatim morbus exceptus fuiſſet. ad eos enim morbos vitiáque pertinere edictum ædilium probandum eſt, quæ quis ignorauit, vel ignorare potuit.

15. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

QVæ Vis in menſe purgatur, ſana non eſt. item quæ non purgatur: niſi per ætatem accidit.

16. *Pomponius* libro 23. ad Sabinum.

QVod ita ſanatum eſt, vt in priſtinum ſtatum reſtitueretur; perinde habendum eſt, quaſi nunquam morboſum eſſet.

17. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

QVid ſit fugitiuus definit Ofilius. fugitiBus eſt, qui extra domini domum fugæ cauſa, quò ſe à domino celaret, manſit. 1 ¶ Cælius autem fugitiuum eſſe ait eum, qui ea mente diſcedat, ne ad dominum redeat. tametſi, mutato conſilio, ad eum reuertatur. nemo enim tali peccato (inquit) pœnitentia ſua nocens eſſe deſinit. 2 ¶ Caſsius quoq; ſcribit, fugitiuum eſſe, qui certo propoſito dominum relinquat. 3 ¶ Item apud Viuianum relatum eſt, fugitiuum fere ab effectu animi intellegendum eſſe, non vtiq; à fuga. nam eum, qui hoſtem, aut latronem, incendium, ruinamve fugeret; quamuis fugiſſe verum eſt; non tamen fugitiuum eſſe. Item ne eum quidem; qui à præceptore, cui in diſciplinam traditus erat, aufugit: eſſe fugitiuum: ſi fortè ideo fugit, quia immoderatè eo vtebatur. idémque probat; & ſi ab eo fugerit, cui erat commodatus: ſi propter eandem cauſam fugerit, idem probat BiBianus, & ſi ſæuius cum eo agebat. hæc ita; ſi eos fugiſſet, & ad dominū veniſſet. cæterùm ſi ad dominum non veniſſet: ſine vlla dubitatione fugitiuum videri ait.

4 ¶ Idem ait interrogatus Proculus de eo; qui domi latuiſſet in hoc ſcilicet, vt, fugæ nactus occaſionem, ſe ſubtraheret. ait; tametſi fugere non poſſet videri, qui domi manſiſſet; tamen eum fugitiuum fuiſſe. ſin autem in hoc tantùm latuiſſet, quoad iracundia domini efferueſceret: fugitiuum non eſſe. ſicuti ne eum quidem, qui; cùm dominum animaduerteret, verberibus ſe adficere velle; præripuiSet ſe ad amicum, quem ad precandum perduceret. ne eū quidem fugitiuum eſſe, qui in hoc progreſſus eſt, vt ſe præcipitaret. cæterùm etiam eum quis fugitiuum diceret, qui domi in altum locum ad præcipitandū ſe aſcendiſſet. magíſque hunc mortem ſibi conſciſcere voluiſſe. illud enim; quod plerumque ab imprudentibus (inquit) dici ſolet, eum eſſe fugitiuum, qui nocte aliqua ſine voluntate domini emanſiſſet, non eſſe verum: ſed ab effectu animi cuiuſque æſtimandum.

5 ¶ Idem Viuianus ait: ſi à magiſtro puer receſſit, & rurſus ad matrem peruenit: cùm quæreretur, num fugitiuus eſſet, ſi celandi cauſa quò, ne ad dominum reuerteretur, fugiſſet: fugitiuum eſſe. ſin verò; vt, per matrem: faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius: non eſſe fugitiuum.

6 ¶ Cælius quoque ſcribit; ſi ſeruum emeris, qui ſe in Tiberim deiecit; ſi, moriendi dumtaxat conſilio ſuſcepto, à domino diſceſsiſſet; non eſſe fugitiuum. ſed ſi fugæ priùs conſilium habuit; deinde, mutata voluntate, in Tiberim ſe deiecit: manere fugitiuum, eadem probat & de eo, qui de ponte ſe præcipitauit. hæc omnia vera ſunt, quæ Cælius ſcribit.

7 ¶ Idem ait: ſi ſeruus tuus fugiens, vicarium ſuum ſecum abduxit; ſi vicarius inuitus, aut imprudens ſecutus eſt, neque occaſionem ad te redeundi nactus prætermiſit: non videri fugitiuum fuiſſe. ſed ſi aut olim cùm fugeret, intellexit, quid ageretur; aut poſtea cognouit, quid acti eſſet; & redire ad te, cùm poſſet, noluit: contrà eſſe. Idem putat dicendum de eo, quem plagiarius abduxit.

8 ¶ Idem Cælius ait: ſi ſeruus; cùm in fundo eſſet, exiſſet de villa ea mente, vt profugeret; & quis eum, priùs quàm ex fundo tuo exiſſet, comprehendiſſet: fugitiuum videri. animum enim, fugitiuum facere.

9 ¶ Idem ait: nec eum, qui ad fugam gradum vnum alterúmve promouit; vel etiam currere cœpit, ſi dominum ſequentem non poteſt euadere: non eſſe fugitiuum.

10 ¶ Idem rectè ait, libertatis cuiuſdam ſpeciem eſſe, fugiſſe: hoc eſt, poteſtate dominica in præſenti liberatum eſſe.

11 ¶ Pignori datus ſeruus debitorem quidem dominum habet. ſed ſi, poſteaquàm ius ſuum exercuit creditor, ei ſe ſubtraxit; poteſt fugitiuus videri. 12 ¶ Apud Labeonem, & Cælium quæritur; ſi quis in aſylum confugerit; aut eò ſe conferat, quò ſolent venire, qui ſe venales poſtulant; an fugitiuus ſit. ego puto, non eſſe eum fugitiuum; qui id facit, quod publicè facere licere arbitratur. ne eum quidē, qui ad ſtatuam Cæſaris confugit, fugitiuum arbitror. nō enim fugiendi animo hoc facit. Idē puto & in eū, qui in aſylum, vel quod aliud confugit. quia non fugiendi animo hoc facit. ſi tamen antè fugit, & poſtea ſe contulit: non ideo magis fugitiuus eſſe deſinit.

13 ¶ Item Cælius ſcribit, placere, eum quoq; fugitiuum eſſe, qui eò ſe conferat, vnde eum dominus reciperare non poſsit. multoq; magis illum fugitiuū eſſe, qui eò ſe cōferat, vnde abduci nō poſsit.

14 ¶ Erronē ita definit Labeo, puſillum fugitiuum eſſe.& ex diuerſo, fugitiuum, magnum erronem eſſe. ſed propriè erronem ſic definimus; qui non quidem

fugit,ſed frequenter ſine cauſa vagatur, &, temporibus in res nugatorias conſumptis, ſerius domum redit. 15 ¶ Apud Cælium ſcriptum eſt: Liberti apud patronum habitantis ſic,vt ſub vna claue tota eius habitatio eſſet, ſeruus ea mente, ne rediret ad eum,extra habitationem liberti fuit, ſed intra ædes patroni & tota nocte oblituit, videri eſſe fugitiuum, Cælius ait. planè ſi talem cuſtodiam [ea] habitatio non habuit; & in ea cella libertus habitabit, cui commune & promiſcuum & plurium cellarum iter eſt:contrà placere debere,Cælius,& Labeo probat. 16 ¶ Idem Cælius ait,ſeruum in prouinciam miſſum a domino;cùm eum mortuum eſſe,& teſtamento ſe liberum relictum audiſſet, & in eodem officio permanſiſſet,tantumq́; pro libero ſe gerere cœpiſſet:hunc non eſſe fugitiuum.nec enim,mentiendo ſe liberum,(inquit)fugitiuus eſſe cœpit; quia ſine fugæ conſilio id fecit.

17 ¶ Quod aiunt ædiles, *noxa ſolutus non ſit*, ſic intellegendum eſt:vt non hoc debeat pronuntiari,nullam eum noxam commiſiſſe:ſed illud, noxa ſolutum eſſe,hoc eſt, noxali iudicio ſubiectum non eſſe.ergo,ſi noxam commiſit,nec permanet,noxa ſolutus videtur.

18 ¶ Noxas accipere debemus priuatas: hoc eſt eas,quæcumque committuntur ex delictis, (non publicis criminibus)ex quibus agitur iudiciis noxalibus.deniq; ſpecialiter cauetur infra de capitalibus fraudibus,ex priuatis autem noxiis oritur damnum pecuniarium,ſi quis fortè noxæ dedere noluerit, ſed litis æſtimationem ſufferre.

19 ¶ Si quis talis ſit ſeruus,qui omnino manumitti non poſſit ex conſtitutionibus; vel ſi ſub pœna vinculorum diſtractus ſit à domino,vel ab aliqua poteſtate damnatus,vel ſi exportandus: æquiſſimum erit,etiam hoc prædici. 20 ¶ Si quis adfirmauerit,aliquid adeſſe ſeruo,nec adſit; vel abeſſe & adſit:vtputa ſi dixerit furem non eſſe,& fur ſit:ſi dixerit artificem eſſe, & non ſit. hi enim;quia,quod adſeuerauerunt,non præſtant;aduerſus dictum, promiſſúmve facere videntur.

18. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SI quid venditor de mancipio adfirmauerit; idque non ita eſſe,emptor quæratur: aut redhibitorio, aut æſtimatorio,id eſt,quantò minoris,iudicio agere poteſt.verbi gratia,ſi conſtantem,aut laborioſum,aut curracem; vigilacem eſſe, aut ex frugalitate ſua peculium adquirentem adfirmauerit; & is ex diuerſo leuis,proterbus,deſidioſus,ſomniculoſus,piger, tardus, comeſor inueniatur. hæc omnia videntur eo pertinere;ne id,quod adfirmauerit venditor, amare ab eo exigatur;ſed cum quodam temperamento: vt ſi fortè conſtantem eſſe adfirmauerit: non exacta grauitas,& conſtantia, quaſi à philoſopho deſideretur & ſi laborioſum,& vigilacem adfirmauerit eſſe, non continuus labor per dies noctéſque ab eo exigatur.ſed hæc omnia ex bono & æquo modicè deſiderentur. idem & in ceteris, quæ venditor adfirmauerit intellegemus. 1 ¶ Venditor, qui optimum cocum eſſe dixerit,optimum in eo artificio præſtare debet.qui verò ſimpliciter cocum eſſe dixerit, ſatisfacere videtur, etiam ſi mediocrem cocum præſtet: idem & in cæteris generibus artificiorum.

2 ¶ Æquè,ſi quis ſimpliciter dixerit peculiatum eſſe ſeruum,ſufficit, ſi is vel minimum habeat peculium.

19. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SCiendum tamen eſt,quædam,& ſi dixerit,præſtare eum non debere:ſcilicet ea, quæ ad nudam laudem ſerui pertinent:veluti ſi dixerit,frugi, probum,dicto audientem.vt enim Pedius ſcribit, multùm intereſt,commendandi ſerui cauſa quid dixerit, an verò præſtaturum ſe promiſerit,quod dixit.

1 ¶ Planè,ſi dixerit aleatorem non eſſe, furem non eſſe,ad ſtatuam nunquam confugiſſe:oportet eum id præſtare. 2 ¶ Dictum à promiſſo ſic diſcernitur. dictum accipimus; quod verbo tenus pronuntiatum eſt,nudóque ſermone finitur.promiſſum autem poteſt referri & ad nudam promiſſionem ſiue pollicitationem,vel ad ſponſum.ſecundùm quod incipiet is, qui de huiuſmodi cauſa ſtipulanti ſpopondit,& ex ſtipulatu poſſe conueniri, & redhibitoriis actionibus.non nouum. nam & qui ex empto poteſt conueniri, idem etiam redhibitoriis actionibus conueniri poteſt. 3 ¶ Ea autem ſola dicta,ſiue promiſſa admittenda ſunt; quæcumque ſic dicuntur,vt præſtentur;non vt iactentur. 4 ¶ Illud ſciendum eſt: ſi quis artificem promiſerit, vel dixerit:non vtique perfectum eum præſtare debet; ſed ad aliquem modum peritum. vt neq; conſummata ſcientiæ accipias,neq; rurſum indoctum eſſe in artificium. ſufficiet igitur talem eſſe, quales vulgò artifices dicuntur. 5 ¶ Deinde aiunt ædiles:*Emptori,omnibúſque,ad quos ea res pertinet,iudicium dabimus*.pollicentur emptori actionem, & ſucceſſoribus eius,qui in vniuerſum ius ſuccedunt. Emptorem accipere debemus eum, qui pretio emit. ſed ſi quis permutauerit:dicendum eſt, vtrumq; emptoris & venditoris loco haberi, & vtrumq; poſſe ex hoc edicto experiri. 6 ¶ Tempus autem redhibitionis ſex menſes vtiles habet. ſi autem mancipium non redhibeatur,ſed quanto minoris agitur: annus vtilis eſt.ſed tempus redhibitionis ex die venditionis currit:aut,ſi dictum promiſſúmve quid eſt,ex eo,ex quo dictum promiſſúmve quid eſt.

20. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SI verò ante venditionis tempus dictum interceſſerit, deinde poſt aliquot dies interpoſita fuerit ſtipulatio: Cælius Sabinus ſcribit:ex priore cauſa, quæ ſtatim,(inquit)vt veniit id mancipium, eo nomine poſſe agere cœpit.

21. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

REdhibere eſt,facere, vt rurſus habeat venditor, quod habuerit.&,quia reddendo id fiebat,idcirco redhibitio eſt appellata,quaſi redditio. 1 ¶ Cum redditur ab emptore mancipium: venditori de dolo malo promitti oportere ei, Pomponius ait. & ideo cautiones neceſſarias eſſe:ne fortè aut pignori datus ſit ſeruus ab emptore,aut iuſſu eius furtum,ſiue damnum cui datũ ſit. 2 ¶ Idem Pomponius ait,interdũ etiam dupliciter cautiones interponi debere,aliàs in præteritũ,aliàs in futurũ. vtputa ſi eius ſerui nomine,qui redhibetur,emptor,procuratórve eius iudiciũ accepit:vel quod cũ eo ageretur, vel quod ipſe eius nomine ageret.cauendũ autem eſſe ait; ſi quid ſine dolo malo emptor condemnatus fuerit, aut dederit,*His rebus rectè præſtari*.vel ſi quid de eo,quod egerit,ad eũ peruenerit,dolóve malo,vel culpa eius factũ ſit,quo minùs perueniret, iſdem diebus reddi.

3 ¶ Idem ait,futuri temporis nomine cautionem ei,qui ſciens vendidit,fieri ſolere, ſi in fuga eſt homo ſine culpa emptoris,& nihilominùs condemnatur venditor.tũ enim cauere oportere; vt emptor hominem perſequatur, & in ſua poteſtate redactum venditori reddat.

22. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

ET neq; per ſe,neq; per hæredem ſuũ futurũ quo minùs eum hominem venditor habeat.

23. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

CVm autem redhibitio fit: ſi deterius mancipium ſiue animo, ſiue corpore ab emptore factum eſt: præſtavit emptor venditori. vtputa ſi ita, ra-



ſi + pratum ſit,aut ſæuitia emptoris fugitiuum eſſe ceperit. & ideo inquit Pomponius, vt ex quacumque cauſa deterius factum ſit,id arbitrio iudicis æſtimetur,& venditori præſtetur.quod ſi ſine iudice homo redhibitus ſit:reliqua autem, quæ diximus, nolit emptor reddere: ſufficiat venditori ex vendito actio.

1 ¶ Iubent ædiles reſtitui, & quod venditioni acceſſit,& ſi quas actiones ipſe præſtiterit: vt vterque, reſoluta emptione, nihil ampliùs conſequatur,quàm (non) haberet,ſi venditio facta non eſſet.

2 ¶ Excipitur etiam ille,qui capitalem fraudem admiſit.capitalem fraudem admittere eſt, tale aliquid delinquere,propter quod capite puniendus ſit. veteres enim fraudem pro pœna ponere ſolebant. capitalem fraudem admiſiſſe accipiemus,dolo malo,& per nequitiam.ceterùm,ſi quis errore, ſi quis caſu fecerit,ceſſabit edictum. vnde Pomponius ait, neque impuberem,neque furioſum capitalem fraudem videri admiſiſſe.

3 ¶ Excipitur & ille, qui mortis conſciſcendæ cauſa quid fecerit.malus ſeruus creditus eſt, qui aliquid facit,quo magis ſe rebus humanis extrahat. vtputa laqueum torſit, ſiue medicamentum pro veneno bibit,præcipitémve ſe ex alto miſerit,aliúdve quid fecerit, quo facto ſperauit mortem peruenturam:tamquàm non nihil in alium auſurus, qui hoc aduerſus ſe auſus eſt.

4 ¶ Si ſeruus ſit,qui vendidit, vel filiusfamilias: in dominum,vel patrem de peculio ædilicia actio competit. quamuis enim pœnales videantur actiones:tamen,quoniam ex contractu veniunt,dicendũ eſt,eorum quoque nomine, qui in aliena poteſtate ſunt,competere.proinde & ſi filiafamilias, vel ancilla diſtraxit: æque dicendum eſt,actiones ædilicias locum habere.

5 ¶ Hæ actiones,quæ ex hoc edicto oriuntur, etiam aduerſus heredes omnes competunt.

6 ¶ Et ſi bona fide nobis ſeruiẽt liberi forte homines,vel ſerui alieni,qui vendiderunt:poteſt dici, etiam hos hoc edicto contineri.

7 ¶ Iulianus ait,iudicium redhibitoriæ actionis vtrumque,id eſt, venditorem & emptorem, quodãmodo in integrum reſtituere debere.

8 ¶ Quare ſiue emptori ſeruus furtum fecerit,ſiue alij cuilibet, ob quod furtum emptor aliquid præſtiterit:non aliter hominem venditori reſtituere iubetur,quàm ſi indemnẽ eum præſtiterit. Quid ergo, (inquit Iulianus) ſi noluerit venditor hominem recipere? non eſſe cogendum ait quicquã præſtare.nec ampliùs,quàm pretio, condemnabitur. & hoc detrimentum ſua culpa emptorem paſſurum: qui, cùm poſſet hominem noxæ dedere, maluerit litis æſtimationem ſufferre.& videtur mihi Iuliani ſententia humanior eſſe.

9 ¶ Cum redhibetur mancipium: ſi quid ad emptorem peruenit,vel culpa eius non peruenit:reſtitui oportet:non ſolùm ſi ipſe fructus percepit,mercedéſve à ſeruo, vel conductore ſerui accepit: ſed etiam ſi à venditore fuerit idcirco cõſecutus, quod tardiùs ei hominem reſtituit.ſed & ſi,à quouis alio poſſeſſore fructus accepit emptor, reſtituere eos debebit. ſed & ſi quid fructuum nomine conſecutus eſt,id præſtet item ſi legatum, vel hereditas ſeruo obuenerit.neque refert,potuerit hæc conſequi venditor,an non potuerit; ſi ſeruum non vendidiſſet, ponamus enim,talem eſſe,qui capere aliquid ex teſtamento non poterat. nihil hæc res nocebit. Pedius quidem etiam illud non putat eſſe ſpectandũ: cuius contemplatione teſtator ſeruum heredẽ ſcripſerit,vel ei legauerit. quia, etſi venditio remanſiſſet,nihil hæc res emptori proderat & per contrariũ (inquit) ſi contemplatione venditoris inſtitutus proponeretur:tamen diceremus, reſtituere emptorem non debere venditori, ſi nollet eum redhibere.

24. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

ET generaliter dicendum eſt, quidquid extra rem emptoris per eum ſeruum adquiſitum eſt, id iuſtum videri reddi oportere.

25. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

AEdiles etiam hoc præſtare emptorem volunt; ſi in aliquo deterior factus ſit ſeruus. ſed ita demũ, ſi poſt venditionem traditionémque factus ſit. ceterùm ſi ante fuit:non pertinet ad hoc iudicium, quod ante factum eſt.

1 ¶ Siue ergo ipſe deteriorem eum fecit, ſiue familia eius,ſiue procurator:tenebit actio.

2 ¶ Familiæ appellatione omnes,qui in ſeruitio ſunt,continentur:etiam liberi homines, qui ei bona fide ſeruiunt,vel alieni. accipe eos quoque, qui in poteſtate eius ſunt. 3 ¶ Procuratoris fit mentio in hac actione. ſed Neratius procuratorem hic eum accipiendum ait:non quemlibet: ſed cui vniuerſa negotia, aut idipſum, propter quod deterius factum ſit,mandatum eſt.

4 ¶ Pedius ait,æquum fuiſſe, id dumtaxat imputari empto ex facto procuratoris, & familiæ, quod non fuit paſſurus ſeruus, niſi ei veniſſet. quod autẽ paſſurus erat, etiam ſi non veniſſet, in eo concedi emptori ſerui ſui noxæ deditionem. & ex eo, (inquit) quod procurator commiſit, ſolùm actionum præſtandarum neceſſitatem ei iniungi.

5 ¶ Quid ergo,ſi culpa,non etiam dolo emptoris,ſeruus deterior factus ſit? æque condemnabitur.

6 ¶ Hoc autem,quod deterior factus eſt ſeruus, non ſolùm ad corpus,ſed etiam ad animi vitia referendum eſt. vtputa ſi imitatione conſeruorum apud emptorem talis factus eſt:aleator forte, vel vinarius,vel erro euaſit.

7 ¶ Sed notandum eſt,quod non permittitur emptori,ex huiuſmodi cauſis noxæ dedere ſeruũ ſuũ. nec enim factum ſeruorum ſuorum, itemque procuratoris præſtat. 8 ¶ Item ſciendum eſt,hæc omnia, quæ exprimuntur edicto ædilium, præſtare eum debere, ſi ante iudicium acceptum facta ſint. idcirco enim neceſſe habuiſſe,ea enumerari: vt, ſi quid eorum ante litem conteſtatam contigiſſet, præſtaretur. ceterùm poſt iudicium acceptum, tota cauſa ad hominem reſtituendum in iudicio verſatur: & tam fructus veniunt, quàm id,quo deterior factus eſt:ceteraque veniunt.iudici enim, ſtatim atque iudex factus eſt, omnium rerum officium incumbit, quæcumque in iudicio verſantur. ea autẽ, quæ ante iudicium contingunt, non valde ad eum pertinent:niſi fuerint ei nominatim iniuncta.

9 ¶ Præterea in edicto adijcitur ſic:*Et quanta pecuniæ pro eo homine ſoluta, acceſſioniſve nomine data erit,non reddetur:cuiuſve pecuniæ quis eo nomine obligatus erit,non liberabitur*.

20 ¶ Ordine fecerunt ædiles:vt ante venditori emptor ea omnia,quæ ſuprà ſcripta ſunt,præſtet:ſic deinde pretium conſequatur.

26. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

VIdeamus tamen ne iniquum ſit,emptorem compelli dimittere corpus,& ad actionem iudicati mitti,ſi interdum nihil præſtatur propter inopiam venditoris. potiúſque res ita ordinanda ſit: vt emptor caueat,ſi intra certum tempus pecunia ſibi ſoluta ſit,ſe mancipium reſtituturum.

27. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

DEbet autem recipere pecuniam, quam dedit pro eo homine, vel ſi quid acceſſionis nomine. dari autem non id ſolùm accipiemus, quod numeratur venditori, vtputa pretium, & vſuras eius: ſed & ſi quid emptionis cauſa erogatum eſt. hoc autem ita demum deducitur, ſi ex voluntate venditoris datur. ceterùm, ſi quid ſua ſponte datum eſſe proponatur, non

imputauitur. neque enim debet, quod quis ſuo arbitrio dedit, à venditore exigere. Quod ergo, ſi forte vectigalis nomine datum eſt, quod emptorem forte ſequeretur? dicemus, hoc quoque reſtituendum. indemnis enim emptor debet diſcedere.

28. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SI venditor de his, quæ edicto ædilium continentur, non caueat: pollicetur aduerſus eum (ad) redhibendum iudicium, intra duos menſes; vel quanti emptoris intererit, intra ſex menſes.

29. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

ILlud ſciendum eſt, ſi emptor venditori hæc non præſtat, quæ deſiderantur in Actione, non poſſe ei venditorem condemnari. ſi autem emptori venditor iſta non præſtat, condemnauitur ei.

1 ¶ Item emptori præſtandum eſt, vt pecuniæ, cuius nomine obligatus erit, liberetur: ſiue ipſi venditori obligatus ſit, ſiue etiam alij.

2 ¶ Condemnatio autem fit, quanti ea res erit. ergo, excedet pretium, an non, videamus; & quidem continet condemnatio pretium, acceſſionéſque. an & vltra, pretij conſequatur: quaſi, quod ſua intererit, debeat accipere? maxime cum fructus quoque ipſe reſtituat: & placet conſecuturum.

3 ¶ Si quid tamen damni ſenſit, vel ſi quid pro ſeruo impendit, conſequetur arbitrio iudicis. ſic tamen, non vt ei horum nomine venditor condemnetur, vt ait Iulianus: ſed ne aliàs compellatur hominem venditori reſtituere, quàm ſi eum indemnem præſtet.

30. *Paulus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

ITem ſi ſerui redhibendi nomine emptor iudiciũ accepit, vel ipſe eius nomine dictatur: cauendũ ex vtraque parte erit: vt, ſi quid ſine dolo malo cõdemnatus ſit, vel ſi quid ex eo, quod egerit, ad eum peruenerit: dolove malo eius factum ſit, quo minus perueniret: id reddat.

1 ¶ Quas impenſas neceſſario in curandum ſeruum poſt litem conteſtatam emptor fecerit, imputabit. præcedentes impenſas nominatim comprehendendas, Pedius: ſed ciVaria ſeruo data non eſſe imputanda, Ariſto ait. nam nec ab ipſo exigi, quod in miniſterio eius fuit.

31. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

QVod ſi nolit venditor hominem recipere: non in maiorem ſummam, (inquit) quàm in pretium, ei condemnandum. ob hæc ergo, quæ propter ſeruum damna ſenſit, ſolam dabimus ei corporis retentionem. ceterùm poterit euitare præſtationem venditor, ſi nolit hominem recipere. quo facto, pretij præſtationem, eorumque, quæ pretium ſequuntur, ſolam non euitaVit.

1 ¶ Si venditor pronuntiauerit, vel promiſerit, furem non eſſe: tenetur ex ſua promiſſione, ſi furtum ſeruus fecit. eſſe enim hoc caſu furem: non tãtùm eum, qui extraneo: ſed & eum, qui domino ſuo res ſubtraxit, intellegendum eſt.

2 ¶ Si ancilla redhibeatur: & quod ex ea poſt venditionem natum erit, reddetur: ſiue vnus partus ſit, ſiue plures. 3 ¶ Sed & ſi forte vſusfructus proprietati adcreuerit, indubitate hic quoque reſtituetur. 4 ¶ Si peculium quæſiit apud emptorẽ: quid de hoc dicemus? &, ſi quidem ex re emptoris acceſſit, dicendum eſt, apud ipſum relinquẽdum. ſi aliunde creuit, venditori reſtituendum eſt.

5 ¶ Si plures heredes ſint emptoris: an omnes ad redhibendum conſentire debeant, videamus. & ait Pomponius, omnes conſentire debere ad redhibendum: daréque vnum procuratorem: ne forte venditor iniuriam patiatur: dum ab alio partem recipit hominis, alij in partem pretij condẽnatur, quanti minoris is homo ſit.

6 ¶ Idem ait, homine mortuo: vel etiam redhibito: ſingulos pro ſuis portionibus recte agere. pretium autem, & acceſſiones pro parte recipient. ſed & fructus acceſſionis, & ſi quo deterior homo factus eſt, pro parte præſtabitur ab ipſis. niſi forte tale ſit, quod diuiſionem non recipiat: vt puta ancillæ partus. in hoc enim idem ſeruandum eſt, quod in ipſa matre vendita: quam pro parte redhiberi poſſe negauimus.

7 ¶ Marcellus quoque ſcribit, ſi ſeruus communis ſeruum emerit, & ſit in cauſa redhibitionis, vnum ex dominis pro parte ſua redhibere ſeruum non poſſe: non magis, (inquit) quàm cum emptori plures heredes extiterunt, nec omnes ad redhibendum conſentiunt.

8 ¶ Idem Marcellus ait, non poſſe alterum ex dominis conſequi actione ex empto, vt ſibi pro parte venditor tradat, ſi pro portione pretium dabit. & hoc in emptoribus ſeruari oportere ait. nam venditor pignoris loco, quod vendidit, retinet, quoad emptor ſatisfaciat.

9 ¶ Pomponius ait, ſi vnus ex heredibus, vel familia eius, vel procurator, culpa vel dolo fecerit rem deteriorem: æquum eſſe, in ſolidum eum teneri arbitrio iudicis. hoc autem expeditius eſſe, ſi omnes heredes vnum procuratorem ad agendũ dederunt. tunc & ſi quo deterior ſeruus culpa vnius heredum factus eſt, & hoc ſolutum eſt: ceteri familiæ erciſcundæ iudicium aduerſus eum habent: quia, propter ipſum, damnum ſentiunt, impediunturque redhibere. 10 ¶ Si venditori plures heredes extiterint: ſingulis pro portione hereditaria poterit ſeruus redhiberi. & ſi ſeruus plurium venierit: idem erit dicendum. nam ſi vnus a pluribus, vel plures ab vno, vel plura mancipia ab vno emãtur: verius eſt dicere, ſi quaſi plures rei fuerunt vẽditores, ſingulis in ſolidum redhibendum. ſi tamen partes emptæ ſint a ſingulis: recte dicetur, alteri quidem poſſe redhiberi, cum altero autẽ agi quanto minoris. Item ſi plures ſinguli partes ab vno emant, tunc pro parte quiſque eorum experietur: ſed ſi in ſolidum emant, vnuſquiſque in ſolidum redhibebit. 11 ¶ Si mancipium, quod redhiberi oportet, mortuum erit: hoc quæretur, numquid culpa emptoris, vel familiæ eius, vel procuratoris, homo demortuus ſit. nam, ſi culpa eius deceſſit, pro viuo habendus eſt: & præſtentur ea omnia, quæ præſtarentur, ſi viueret. 12 ¶ Culpã omnem accipiemus, non vtique latam. propter quod dicendũ eſt, quãcunque occaſionem morti emptor præſtuit, debere eum: etiam ſi non adhibuit medicum, vt ſanari poſſit: vel malum adhibuit, ſed culpa ſua. 13 ¶ Sed hoc dicemus, ſi ante iudicium acceptum deceſſit. ceterùm, ſi poſt iudicium acceptum deceſſiſſe proponatur, tunc in arbitrium iudicis veniet, qualiter mortuus ſit. vt enim & Pedio videtur, ea, quæcumque poſt litis conteſtationem contingunt, arbitrium iudicis deſiderant. 14 ¶ Quod in procuratore diximus: idem & in tutore, & curatore dicendum erit, ceteriſque, qui ex officio pro aliis interueniunt. & ita Pedius ait & adicit, quibus adminiſtratio rerum, culpam abeſſe præſtare, non iniquè dominum cogi. 15 ¶ Idem Pedius ait, familiæ appellatione & filiosfamilias demonſtrari. facta enim domeſticorum, redhibitoria agentem præſtare voluit.

16 ¶ Si quis egerit quanto minoris propter ſerui fugam, deinde agat propter morbum: quanti fieri condemnatio debeat? & quidem ſæpius agi poſſe quanto minoris, dubium non eſt. ſed ait Iulianus, id agendum eſſe, ne lucrum emptor faciat, & bis eiuſdem rei æſtimationem conſequatur.

17 ¶ In factum actio, competit ad pretium recuperandum, ſi mancipium redhibitum fuerit. in qua non hoc quæritur, an mancipium in cauſa redhibitionis fuerit: ſed hoc tantum, an ſit redhibitum. nec immeritò. iniquum eſt enim, poſteaquam venditor agnouit, recipiendo mancipium, eſſe id in cauſa redhibitionis: tunc quæri, vtrùm debuerit redhiberi, an non debuerit. nec de tempore quære-





tur, an intra tempora redhibitus eſſe videatur.

18 ¶ Illud plane nec actio exigit, vt ſit redhibitus, deficit iſta actio: certe ſi inter eos conſenſu placuerit, vt redhibeatur, conuentio ergo de redhibendo non facit locum huic actioni: ſed ipſa redhibitio.

19 ¶ Reddi autem debet per hanc actionem, etiam quod ſeruo in venditione acceſſit.

20 ¶ Quia aſſidua eſt duplæ ſtipulatio: idcirco placuit etiam ex empto agi poſſe: ſi duplam venditor mancipij non caueat. ea enim, quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fidei iudiciis debent venire. 21 ¶ Qui mancipia vendunt, nationem cuiuſque in venditione pronuntiare debent. plerumque enim natio ſerui aut prouocat, aut deterret emptorem. idcirco intereſt noſtra ſcire nationem. præſumptum etenim eſt: quoſdam ſeruos bonos eſſe, quia natione ſunt non infamata: quoſdam malos videri, quia ea natione ſunt, quæ magis infamis eſt. quod ſi de natione ita pronuntiatum non erit: iudicium emptori, omnibuſque, ad quos ea res pertinebit, dabitur: per quod emptor redhibet mancipium.

22 ¶ Si quid ita venierit, vt, niſi placuerit, intra præfinitum tempus redhibeatur: ea conuentio rata habetur. ſi autem de tempore nihil conuenerit: in factum actio intra ſexaginta dies vtiles accommodatur emptori ad redhibendum: vltrà non. ſi verò conuenerit, vt in perpetuum redhibitio fiat, puto, hanc conuentionem valere. Item ſi tempus ſexaginta dierum præfinitũ redhibitioni præterit: cauſa cognita, iudicium dabitur.

23 ¶ In cauſæ autem cognitione hoc verſabitur: ſi aut mora fuit per venditorem: aut non fuit præſens, cui redderetur: aut aliqua iuſta cauſa interceſſit, cur intra diem redhibitum mancipium non eſt, quod ei magis diſplicuerat.

24 ¶ In his autem actionibus eadem erunt obſeruanda, quæ de partu, fructibus, acceſſionibus, quæque de mortuo redhibendo dicta ſunt.

25 ¶ Quod emptioni accepit, partem eſſe venditionis, prudentibus viſum eſt.

32. *Gaius* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

ITaque ſicut ſuperiùs venditor de morbo vitioue, & ceteris, quæ ibi comprehenſa ſunt, prædicere iubetur: & præterea in his cauſis non eſſe mancipium, vt promittat, præcipitur: ita & cum accedat alij rei homo: eadem & prædicere: & promittere compellitur. quod non ſolum hoc caſu intelligendum eſt, quo nominatim adicitur, acceſſurum fundo hominem Stichum: ſed etiam ſi generaliter omnia mancipia, quæ in fundo ſint, accedant venditioni.

33 *Vlpianus* libro primo ad Edictum ædilium curulium.

PRoinde Pomponius ait, iuſtam cauſam eſſe, vt quod in venditione acceſſurum eſſe dictum eſt, tam integrum præſtetur, quàm illud præſtari debuit, quod principaliter veniit. nam iure ciuili, vt integra ſint, quæ acceſſura dictum fuerit, ex empto actio eſt. veluti, ſi dolia acceſſura fundo dicta fuerint. ſed hoc ita, ſi certum corpus acceſſurum fuerit dictum. nam ſi ſeruus cum peculio venierit: ea mancipia, quæ in peculio fuerint, ſana eſſe præſtare venditor non debet: quia non dixit, certum corpus acceſſurum: ſed peculium tale præſtare oportere. & quemadmodum certam quantitatem peculij præſtare non debet, ita nec hoc. Eandem rationem facere Pomponius ait: vt, etiam ſi hereditas, aut peculium ſerui venierit, locus edicto ædilium non ſit circa ea corpora, quæ ſunt in hereditate, aut in peculio. Idem probat, & ſi fundus cum inſtrumento venierit, & in inſtrumento mancipia ſint. Puto hanc ſententiam veram: niſi ſi aliud ſpecialiter actum eſſe proponatur.

1 ¶ Si vendita res redhibeatur: ſeruus quoque, qui ei rei acceſſit, licet nullum in eo vitiũ ſit, redhibetur.

34. *Africanus* libro 6. Quæſtionum.

CVm eiuſdem generis plures res ſimul veneant, veluti comœdi, vel chorus: referre ait, in vniuerſos, an in ſingulos pretium conſtituatur, vt ſcilicet interdum vna, interdum plures venditiones contractæ intellegantur. quod vel eo quæri, pertinere, vt, ſi quis eorum forte morboſus, vel vitioſus ſit, vel omnes ſimul redhibeantur. 1 ¶ Interdum, etſi in ſingula capita pretium conſtitutum ſit, tamen vna emptio eſt: vt, propter vnius vitium omnes redhiberi poſſint, vel debeant. ſcilicet cùm manifeſtũ erit, non niſi omnes quem empturum vel venditurum fuiſſe. vt plerumque circa comœdos, vel quadrigas, vel mulas pares accidere ſolet: vt neutri nõ niſi omnes habere expediat.

35. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

PLerumque, propter morboſa mancipia, etiam non morboſa redhibentur, ſi ſeparari non poſſunt ſine magno incommodo, vel ad pietatis rationem offenſam. quid enim, ſi filio retento, parentes redhibere maluerint, vel contrà? quod & in fratribus, & in perſonas contubernio ſibi coniunctas, obſeruari oportet.

36. *Pomponius* libro 23. ad Sabinum.

SI plura mancipia vno pretio venierint, & de vno eorum ædilicia actione vtamur: ita demum pro bonitate eius æſtimatio fiet, ſi confuſe vniuerſis mancipiis conſtitutum pretium fuerit. quòd ſi, ſingulorum mancipiorum conſtituto pretio, vniuerſa tanti venierunt, quantum ex conſummatione ſingulorum fiebat: tunc cuiuſque mancipij pretium, ſeu pluris, ſeu minoris, id eſſet, ſequi debemus.

37. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

PRæcipiunt ædiles, ne veterator pro nouicio veneat. & hoc edictum fallaciis venditorum occurrit. vbique enim curant ædiles, ne emptores à venditoribus circumueniantur. vt ecce plerique ſolent mancipia, quæ nouicia non ſunt, quaſi nouicia diſtrahere: ad hoc ſcilicet, vt pluris vendant. præſumptum eſt enim, ea mãcipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & docilioria, & ad omne miniſterium habilia. trita verò mancipia, & veterana diſſicile eſt reformare, & ad ſuos mores formare. quia igitur venaliciarij ſciũt, facile decurri ad nouiciorum emptionem: idcirco interpolant veteratores, & pro nouiciis vendunt. quod ne fiat, hoc edicto ædiles denuntiant, & ideo ſi quid, ignorante emptore, ita venierit: redhibebitur.

38. *Idem* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

AEdiles aiunt: 1. *Qui iumenta vendunt, palam recte dicunto, quid in quoque eorum morbi vitijque ſit: vtique optime ornata vendendi cauſa fuerint, ita emptoribus tradentur. Si quid ita factum non erit: de ornamentis reſtituendis, iumentis ſiue ornamentorum nomine redhibendis, in diebus ſexaginta: morbi autem vitiive cauſa inemptis faciendis, in ſex menſibus, vel quo minoris, cum venirent, fuerint, in anno iudicium dabimus. 2 Si iumenta paria ſimul venierint, & alterum in ea cauſa fuerit, vt redhiberi debeat: iudicium dabimus, quo vtrumque redhibeatur.* 1 ¶ Loquuntur ædiles in hoc edicto de iumẽtis redhibendis.

2 ¶ Cauſa autem huius edicti eadem eſt, quæ mancipiorum redhibendorum. 3 ¶ Et fere eadem ſunt in his, quæ in mancipiis, quod ad morbum vitiúmve attinet. quidquid igitur hic diximus, hoc erit transferendum. &, ſi mortuum fuerit iumentum, pari modo redhiberi poterit, quẽadmodum mancipium poteſt.

4 ¶ Iumentorum autem appellatione an omne pecus contineatur, videamus. & difficile eſt, vt contineatur. nam aliud ſignificãt iumẽta, aliud ſignifi-

catur pecoris appellatione. 5 ¶ Ideirco elogium huic edicto ſubiectum eſt, cuius verba hæc ſunt: *Quæ de iumentorum ſanitate diximus, de cetero quoque pecore omni venditores faciunto.* 6 ¶ Vnde dubitari deſiit, an hoc edicto boues quoque contineantur. etenim iumentorum appellatione non contineri eos, verius eſt. ſed pecoris appellatione continebuntur.

7 ¶ Sed enim ſunt quædam, quæ in hominibus quidem morbum faciunt, in iumentis non adeo. vtputa ſi mulus caſtratus eſt, neque morbi neque vitij quid habere videtur: quia neque de fortitudine quid eius detrahitur, neque de vtilitate: cùm ad generandum numquam ſit habilis. Cælius quoque ſcribit, non omnia animalia caſtrata ob idipſum vitioſa eſſe: niſi propter ipſam caſtrationem facta ſunt inVecilliora. & ideo mulum non eſſe vitioſum. Idem refert, Ofilium exiſtimaſſe, equum caſtratum ſanum eſſe: ſicuti ſpado quoque ſanus eſt: ſed ſi emptor ignorauit, venditor ſcit: ex empto eſſe actionem. & verum eſt, quod Ofilius.

8 ¶ Quæſitum eſt, ſi mula talis ſit, vt transiungi non poſſit, an ſana ſit. & ait Pomponius, ſanam eſſe. pleraſque denique carrucharias tales eſſe, vt non poſſint transiungi.

9 ¶ Idem ait, ſi nata ſit eo ingenio, aut corpore, vt alterum iugum non patiatur, ſanam non eſſe.

10 ¶ Non tantùm autem ob morbum vitiúmve redhibitio locum habebit in iumentis: verùm etiã ſi contrà dictum, promiſſumve, erit locus redhibitioni, exemplo mancipiorum.

11 ¶ Vendendi autem cauſa ornatum iumentum videri Cælius ait, non ſi ſub tempus venditionis, hoc eſt biduo ante venditionem ornatum ſit: ſed ſi in ipſa venditione ornatum ſit: aut ideo, (inquit) venale cùm eſſet, ſic ornatum inſpiceretur. ſempérque cùm de ornamentis agitur, & in actione, & in edicto, adiectum eſt. *Vendendi cauſa ornata ducta eſſe.* poterit enim iumentum ornatum itineris cauſa duci, deinde venire.

12 ¶ Si plura iumenta venierint, non omnia erũt redhibenda propter vnius ornamentum. nam & ſi vitioſum ſit vnum iugum, non tamen propter hoc cetera iuga redhibebuntur.

13 ¶ Si fortè iugum mulatum ſit, quarum altera vitioſa eſt: non ex pretio tantùm vitioſæ, ſed ex vtriuſque erit componendum, quanti minoris ſit. cùm enim vno pretio vtræque venierint, non eſt ſeparandum pretium. ſed quanto minoris, cùm veniret, vtrumque fuit, non alterum, quod erat vitioſum.

14 ¶ Cùm autem iumenta paria veniunt: edicto expreſſum eſt, vt, cùm alterum in ea cauſa ſit, vt redhiberi debeat, vtrũque redhibeatur. in qua re tam emptori, quàm venditori conſulitur dum iumenta non ſeparantur. Simili modo & ſi triga venierit, redhibenda erit tota. & ſi quadriga, redhibeatur. Sed ſi duo paria mularum ſint, & vna mula vitioſa ſit, vel par: ſolum par redhibeVitur: alterum non. ſi tamen nondum ſint paria conſtituta, ſed ſimpliciter quattuor mulæ vno pretio venierint: vnius erit mulæ redhibitio, non omnium. nam & ſi polia venierit: dicemus, vnum equum, qui vitioſus eſt, nõ omnem poliam redhiberi oportere. hæc & in hominibus dicemus, pluribus vno pretio diſtractis: niſi ſi ſeparari non poſſint: vtputa ſi tragœdi, vel mimi.

39. *Paulus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

VEl fratres.

40. *Vlpianus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

HI enim non erunt ſeparandi. 1 ¶ Deinde aiũt ædiles, *Ne quis canem, verrem, vel minorem aprum, lupum, vrſum, pantheram, leonem,*

41. *Paulus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

ET generaliter, *Aliudve, quod noceret animal, ſiue ſoluta ſint, ſiue alligata, vt contineri vinculis, quo minus damnum inferant, non poſſint:*

42. *Vlpianus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

*QVa vulgo iter fiet, ita habuiſſe velit, vt cuiquam nocere, damnumve dare poſſit. Si aduerſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perierit, ſolidi ducenti: ſi nocitum homini libero eſſe dicetur, quanti bonum æquum iudici videVitur, condemnetur. ceterarum rerum, quanti damnum datum factumve ſit, dupli.*

43 *Paulus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

BOuem, qui cornu petit, vitioſum eſſe plerique dicunt. item mulas, quæ ceſſum dant. ea quoque iumenta, quæ ſine cauſa turbantur, & ſemetipſa eripiunt, vitioſa eſſe dicuntur.

1 ¶ Qui ad amicum domini deprecaturus confugit, non eſt fugitiuus. immo etiam ſi ea mente ſit, vt non impetrato auxilio, domum non reuertatur: nondum fugitiuus eſt: quia non ſolum conſilij, ſed & facti, fugæ nomen eſt.

2 ¶ Qui perſuaſu alterius à domino receſſit, fugitiuus eſt: licet id non fuerit facturus citra conſilium eius, qui perſuaſit.

3 ¶ Si ſeruus meus bona fide tibi ſeruiens fugerit, vel ſciens ſe meum eſſe, vel ignorans: fugitiuus eſt: niſi animo ad me reuertendi id fecit.

4 ¶ Mortis conſciſcendæ cauſa ſibi facit, qui propter nequitiam, malóſque mores, flagitiúmve aliquod admiſſum mortem ſibi conſciſcere voluit. non, ſi, dolorem corporis non ſuſtinendo, id fecerit.

5 ¶ Si quis ſeruum emerit, & rapto eo, vi honorũ raptorum actione quadruplum conſecutus eſt, deinde ſeruum redhibeat: reddere debebit, quod accepit. ſed ſi per eum ſeruum iniuriam paſſus, iniuriæ nomine egerit: non reddet venditori. aliter forſitan atque ſi loris ab aliquo cæſo, aut quæſtione de eo habita, emptor egerit.

6 ¶ Aliquando etiam redhiberi mancipium debebit licet æſtimatoria, id eſt quanto minoris, agamus. nam ſi adeo nullius ſit pretij, vt ne expediat quidem tale mancipium domino habere, veluti ſi furioſum, aut lunaticum ſit: licet æſtimatoria actum fuerit: officio tamen iudicis continebitur, vt, reddito mancipio, pretium recipiatur.

7 ¶ Si quis, cùm conſilium iniſſet fraudandorũ creditorum, redhibuerit, non redhibiturus aliàs, niſi vellet eos fraudare: tenetur creditoribus propter mancipium venditor. 8 ¶ Pignus manebit obligatum, etiam ſi redhibitus fuerit ſeruus. quemadmodum ſi eum alienaſſet, aut vſumfructum eius, non rectè redhibetur, niſi redemptum ſit, & pignore liberatum redhibeatur. 9 ¶ Si ſub condicione homo emptus ſit, redhibitoria actio ante condicionẽ exſiſtentem inutiliter agitur: quia nondum perfecta emptio, arbitrio iudicis imperfecta fieri non poteſt. & ideo, etſi ex empto, vel vendito, vel redhibitoria ante actum fuerit, expleta condicione, iterum agi poterit. 10 ¶ Interdum, etiam ſi pura ſit venditio, propter iuris condicionem in ſuſpenſo eſt. veluti ſi ſeruus, in quo alterius vſusfructus, alterius proprietas eſt, aliquid emerit. nam dum incertum eſt, ex cuius re pretium ſoluat: pendet, cui ſit adquiſitũ. & ideo neutri eorum redhibitoria competit.

44. *Idem* libro 2 ad Edictum ædilium curulium.

IVſtiſſime ædiles noluerunt, hominem ei rei, quæ minoris eſſet, accedere: ne qua fraus aut edicto, aut iure ciuili fieret, vt ait Pedius, propter dignitatem hominum. alioquin eandem rationem fuiſſe & in ceteris rebus. ridiculum namque eſſe, tunicæ fundũ accedere. ceterùm hominis venditioni quiduis adicere licet. nam & plerumque plus in peculio eſt, quàm in ſeruo. & nonnumquam vicarius, qui accedit, pluris eſt, quàm is ſeruus, qui venit. 1 ¶ Proponitur actio ex hoc edicto in eum, cuius maxima pars in venditione fuerit. quia plerumque venali-

ciarij



ciarij ita ſocietatem coëunt, vt, quidquid agunt, in commune videantur agere. æquum enim ædilibus viſum eſt, vel in vnum ex his, cuius maior pars, aut nulla parte minor eſſet, ædilicias actiones competere: ne cogeretur emptor cum multis litigare. quamuis actio ex empto cum ſingulis ſit pro portione, qua ſocij fuerunt. nam id genus hominum ad lucrum potius vel turpiter faciendum, pronius eſt.

2 ¶ In redhibitoria, vel æſtimatoria poteſt dubitari, an, quia alienum ſeruum vendidit, & ob euictionem, & propter morbum fortè, vel fugam ſimul teneri poteſt. nam poteſt dici, nihil intereſſe emptoris, ſanum eſſe fugitiuum non eſſe eum, qui euictus ſit. ſed interfuit emptoris, ſanum poſſediſſe propter operas. neq; ex poſtfacto decreſcat obligatio. ſtatim enim, vt ſeruus traditus eſt, committitur ſtipulatio, quanti intereſt emptoris.

45. *Gaius* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

REdhibitoria actio duplicem habet condemnationem. modò enim in duplum, modò in ſimplum condemnatur venditor. nam ſi neq; pretium, neq; acceſſionem ſoluat, neque eum, qui eo nomine obligatus erit liberet: dupli pretij, & acceſſionis condemnari iubetur. ſi verò reddat pretium, & acceſſionem, vel eum, qui eo nomine obligatus eſt, liberet: ſimpli videtur condemnari.

46. *Pomponius* libro 18. ad Sabinum.

CVm mihi redhibeas: furtis, noxíſque ſolutum eſſe, promittere non debes: præter quã quòd iuſſu tuo fecerat, aut eius, cui tu eum alienaueris.

47. *Paulus* libro 11. ad Sabinum.

SI hominem emptum manumiſiſti: & redhibitoriam, & quanti minoris denegandam tibi, Labeo ait: ſicut duplæ actio periret. ergo &, quòd aduerſus dictum promiſſúmve ſit, actio peribit. 1 ¶ Poſt mortem autem hominis ædiliciæ actiones manent.

48. *Pomponius* libro 23. ad Sabinum.

SI tamen ſine culpa actoris, familiæve eius, vel procuratoris mortuus ſit. 1 ¶ Audiendus eſt is qui de vitio vel morbo ſerui querens, retinere eum velit. 2 ¶ Non nocebit emptori, ſi, ſex menſium exceptione redhibitoria excluſus, velit intra annum æſtimatoria agere. 3 ¶ Ei, qui ſeruum vinctum vendiderit, ædilicium edictum remitti, æquum eſt. multo enim ampliùs eſt, id facere, quàm pronuntiare, in vinculis fuiſſe. 4 ¶ In ædiliciis actionibus exceptionem opponi, æquum eſt, ſi emptor ſciret de fuga, aut vinculis, aut cæteris rebus ſimilibus: vt venditor abſoluatur. 5 ¶ Ædiliciæ actiones & hæredi, & in hæredem competunt: vt tamen & facta hæredum, quæ poſtea acceſſerint, & quod experiri potuerint, quærantur. 6 ¶ Non ſolùm de mancipiis, ſed de omni animali hæ actiones competunt, ita vt, etiam ſi vſumfructum in homine emerim, competere debeant. 7 ¶ Cùm redhibitoria actione de ſanitate agitur: permittendum eſt, de vno vitio agere, & prædicere, vt, ſi quid aliud poſtea apparuiſſet, de eo iterum ageretur. 8 ¶ Simplariarum venditionum cauſa ne ſit redhibitio, in vſu eſt.

49. *Vlpianus* libro 8. Diſputationum.

ETiam in fundo vendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum eſt. veluti ſi peſtilens fundus diſtractus ſit. nam redhibendus erit. & benignum eſt dicere vectigalis exactionem futuri temporis poſt redhibitionem aduerſus emptorẽ ceſſare.

50 *Iulianus* libro 4. ex Minicio.

VAricoſus ſanus non eſt.

51. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

CVm mancipium morboſum vel vitioſum ſeruus emat, & redhibitoria, vel ex empto dominus experiatur: omnimodò ſcientiam ſerui, non domini ſpectandam eſſe ait: vt nihil interſit peculiari, an domini nomine emerit: & certum incertúmve, mandante eo, emerit: quia tunc & illud ex bona fide eſt, ſeruum, cum quo negotium ſit geſtum, deceptum non eſſe. & rurſus delictum eiuſdem, quod in contrahendo admiſerit, domino nocere debet. ſed ſi ſeruus, mandatu domini, hominem emerit, quem dominus vitioſum eſſe ſciret: non tenetur venditor.

1 ¶ Circa procuratoris perſonam, ſi cùm quidem ipſe ſcierit, morboſum, vitioſum eſſe: non dubitandum, quin, quamuis ipſe domino mandati, vel negotiorum geſtorum actione ſit obſtrictus, nihilo magis eo nomine agere poſſit. at cùm ipſe ignorans eſſe vitioſum, mandatu domini, qui id ſciret, emerit, & redhibitoria agat: ex perſona domini vtilem exceptionem ei non putabat opponendam.

52. *Marcianus* libro 4. Regularum.

SI furtum domino ſeruus fecerit: non eſt neceſſe, hoc in venditione ſerui prędicere: nec ex hac cauſa redhibitio eſt. ſed ſi dixerit, hunc furem non eſſe: ex illa parte tenebitur, *Quod dixit, promiſitve.*

53. *Iauolenus* libro 1. ex poſterioribus Labeonis.

QVi tertiana, aut quartana febri, aut podagra vexarentur, quíve comitialem morbum haberẽt, ne quidem his diebus, quibus morbus vacaret, rectè ſani dicentur,

54. *Papinianus* libro 4. Reſponſorum.

ACtioni redhibitoriæ non eſt locus, ſi mancipiũ bonis condicionibus emptum, fugerit, quod antè non fugerat.

55. *Idem* libro 12. Reſponſorum.

CVm ſex menſes vtiles, quibus experiundi poteſtas fuit, redhibitoriæ actioni præſtantur: non videVitur poteſtatem experiundi habuiſſe, qui vitiũ fugitiui latens ignorauit. non idcirco tamen diſſolutam ignorationem emptoris excuſari oportebit.

56. *Paulus* libro 1. Quæſtionum.

LAtinus Largus: Quæro, an fideiuſſori emptionis redhiberi mancipium poſsit. Reſpondi: Si in vniuerſam cauſam fideiuſſor ſit acceptus: putat Marcellus, poſſe ei fideiuſſori redhiberi.

57. *Idem* libro 5. Quæſtionum.

SI ſeruus mancipium emit, & dominus redhibitoria agat: non aliter ei venditor daturus eſt, quàm ſi omnia præſtiterit, quæ huic actioni continentur: & quidem ſolida, non peculio tenus: nam & ſi ex empto dominus agat, niſi pretiũ totũ ſoluerit, nihil conſequitur. 1 ¶ Quòd ſi ſeruus, vel filius vendiderit: redhibitoria in peculiũ competit. in peculio autem & cauſa redhibitionis continebitur. nec nos moueat, quòd, antequàm reddatur ſeruus, non eſt in peculio. non enim poteſt eſſe in peculio ſeruus, qui adhuc emptoris eſt. ſed cauſa ipſius redhibitionis in peculio computatur. igitur ſi ſeruus decem milibus emptus, quinq; milibus ſit: hæc quoq; in peculio eſſe, dicemus hoc ita, ſi nihil domino debeat, aut ademptum peculium non eſt. quòd ſi plus domino debeat: eueniet, vt hominem præſtet, & nihil conſequatur.

58. *Idem* libro 5. Reſponſorum.

QVæro, an, ſi ſeruus apud emptorem fugit, & in cauſa redhibitionis eſſe pronuntiatus fuerit, nõ priùs venditori reſtitui debeat, quàm rerum ablatarum à ſeruo æſtimationem præſtiterit. Paulus reſpondit, venditorem cogendum non tantùm pretium ſerui reſtituere, ſed etiam rerum ablatarum æſtimationem: niſi ſi pro his paratus ſit ſeruum noxæ nomine relinquere. 1 ¶ Item quæro, ſi nolit æſtimationem, & pretia rerum reſtituere, an ſeruus retinendus ſit, & danda ſit actio de peculio, vel de pretio redhibiti ſerui ex duplæ ſtipulatione. Paulus reſpondit, de pretio ſerui repetendo competere

actionem etiam ex duplæ ſtipulatione. de rebus per furtum ablatis, iam reſponſum eſt. 2 ¶ Seruum dupla emi: qui, rebus ablatis, fugit: mox inuentus, præſentibus honeſtis viris, interrogatus, an & in domo venditoris fugiſſet, reſpondit fugiſſe. quæro, an ſtandum ſit reſponſo ſerui. Paulus reſpondit: Si & alia indicia prioris fugæ non deficiunt, tunc etiam ſerui reſponſo credendum eſt.

59. *Vlpianus* libro 74. ad Edictum.

CVm in ea cauſa eſt venditum mancipium, vt redhiberi debeat: iniquum eſt, venditorem pretiũ redhibendæ rei conſequi. 1 ¶ Si quis duos homines vno pretio emerit, & alter in ea cauſa eſt, vt redhibeatur, deinde petatur pretium totum: exceptio erit obiicienda. ſi tamen pars pretij petatur: magis dicetur non nocere exceptionem: niſi forte ea ſit cauſa, in qua, propter alterius vitium, vtrumque mancipium redhibendum ſit.

60. *Paulus* libro 69. ad Edictum.

FActa redhibitione, omnia in integrum reſtituuntur: perinde ac ſi neq; emptio, neq; venditio interceſſit.

61. *Vlpianus* libro 80. ad Edictum.

QVotiens de ſeruitute agitur, victus tantum debet preſtare, quanti minoris emiſſet emptor, ſi ſciſſet, hanc ſeruitutem impoſitam.

62. *Modeſtinus* libro 8. Differentiarum.

AD res donatas edictum ædilium curulium non pertinere, dicendum eſt. etenim quid ſe reſtituturum donator repromittit, quando nullum pretiũ interueniat? quid ergo, ſi res ab eo, cui donata eſt, melior facta ſit? numquid, quanti eius, qui meliorem fecit, intereſt, donator conueniatur? quod minime dicendum eſt: ne, eo caſu, liberalitatis ſuæ donator pœnam patiatur. itaq;, ſi qua res donetur, neceſſe nõ erit, ea repromittere, quæ in rebus venalibus ædiles repromitti iubent. ſanè de dolo donator obligare ſe & debet, & ſolet: ne, quod benignè contulerit, fraudis conſilio reuocet.

63. *Vlpianus* libro 1. ad Edictum ædilium curulium.

SCiendum eſt, ad venditiones ſolas hoc edictum pertinere non tantùm mancipiorum, verùm cæterarum quoq; rerum. Cur autem de locationibus nihil edicatur, mirum videbatur. hæc tamen ratio redditur: vel quia nũmquam iſtorum de hac re fuerat iuriſdictio: vel quia non ſimiliter locationes, vt venditiones, fiunt.

64. *Pomponius* libro 17. Epiſtularum.

LAbeo ſcribit, ſi vno pretio plures ſeruos emiſti, & de vno agere velis, inter æſtimationem ſeruorũ proinde fieri debere, atq; vt fieret in æſtimationem bonitatis agri. cùm ob euictam partem fundi agatur. 1 ¶ Idem ait, ſi vno pretio plures ſeruos vẽdidiſti, ſanóſq; eſſe promiſiſti, & pars dumtaxat eorũ minùs ſana ſit, de omnibus aduerſus dictum, promiſſum, rectè agi. 2 ¶ Ibidem ait, errare, & fugere iumentum poſſe, nec tamen erronem, aut fugitiuum eſſe, agi poſſe.

65. *Venuleius* libro 5. Actionum.

ANimi potiùs, quàm corporis, vitium eſt: veluti ſi ludos adſiduè velit ſpectare, aut tabulas pictas ſtudioſè intueatur, ſiue etiam mendax, aut ſimilibus vitiis teneatur. 1 ¶ Quotiens morbus ſonticus nominatur: eum ſignificari, Caſſius ait, qui noceat. nocere autem intellegi, qui perpetuus eſt, non qui tempore finiatur. ſed morbum ſonticum eum videri, qui inciderit in hominem, poſtquàm is natus ſit. ſontes enim nocentes dici. 2 ¶ Seruus tam veterator, quàm nouicius dici poteſt. ſed veteratorem, nõ ſpatio ſeruiendi, ſed genere & cauſa æſtimandum, Cælius ait. nam quicumque ex venalicio nouiciorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus ſit: ſtatim eum veteratorum numero eſſe, nouicium autem non tirocinio animi, ſed conditione ſeruitutis intellegi. nec ad rem pertinere, latinè ſciat, nec ne, nam (nec) ob id veteratorem eſſe, ſi liberalibus ſtudiis eruditus ſit.

DE EVICTIONIBVS, & duplæ ſtipulatione.

TIT. II.

*Vlpianus* libro 28. ad Sabinum.

SIue tota res euincatur, ſiue pars: habet regreſſum emptor in venditorem. ſed cùm pars euincatur, ſi quidem pro indiuiſo euincatur: regreſſum habet pro quantitate euictę partis. quod ſi certus locus ſit euictus, non pro indiuiſo portio fundi: pro bonitate loci erit regreſſus. quid enim, ſi, quod fuit in agro pretioſiſſimum, hoc euictum eſt, aut quod fuit in agro viliſſimum? æſtimabitur loci qualitas: & ſic erit regreſſus.

2. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SI dupla non promitteretur, & eo nomine agetur, dupli condemnandus eſt reus.

3. *Idem* libro 10. ad Sabinum.

CVm in venditione ſerui peculium ſemper exceptum eſſe intellegitur: ſi is homo ex peculio ſummam quandam ſecũ abſtulerat. ſi, propter hanc cauſam, furti cum emptore actum ſit: non reuerteretur emptor ad venditorem ex ſtipulatione duplæ. quia, furtis noxiſq; ſolutum eſſe, præſtari debet, venditionis tempore. hæc autem actio poſtea eſſe cœperit.

4. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

ILlud quæritur, an is, qui mancipium vendidit, debeat fideiuſſorem ob euictionem dare, quem vulgò auctorem ſecundum vocant. & eſt relatum, non debere: niſi hoc nominatim actum eſt. 1 ¶ Si impuberis nomine tutor vendiderit: euictione ſecuta, Papinianus libro tertio reſponſorum ait, dari in eũ, cuius tutela geſta ſit, vtilem actionem. ſed adiicit, in id demum, quod rationibus eius accepto latum eſt. ſed, an in totum, ſi tutor ſoluendo non ſit, videamus. quod magis puto. neq; enim malè contrahitur cum tutoribus.

5. *Paulus* libro 33. ad Edictum.

SErui venditor peculium acceſſurum dixit. ſi vicarius euictus ſit, nihil præſtaturum venditorẽ, Labeo ait: quia, ſiue non fuit in peculio, non acceſſerit, ſiue fuerit, iniuriam à iudice emptor paſſus eſt aliter atq; ſi nominatim, ſeruum accedere, dixiſſet. tunc enim præſtare deberet, in peculio eum eſſe.

6. *Gaius* libro 10. ad Edictum Prouinciale.

SI fundus venierit: ex conſuetudine eius regionis, in qua negotium geſtum eſt, pro euictione caueri oportet.

7. *Iulianus* libro 13. Digeſtorum.

QVi à pupillo ſubſtitutum ei ſeruum emerit: agere cum ſubſtituto ex empto poteſt, & ex ſtipulatu de euictione: cùm neutram earum actionum aduerſus pupillum habere potuerit.

8. *Idem* libro 15. Digeſtorum.

VEnditor hominis emptori pſtare debet, quãti eius intereſt, hominẽ vẽditoris fuiſſe. quare ſiue partus ancillæ, ſiue hereditas, quã ſeruus iuſſu emptoris adierit, euicta fuerit: agi ex empto poteſt. & ſicut obligatus eſt vẽditor, vt pſtet, licere habere hominẽ, quem vẽdidit: ita ea quoq;, quæ per eum adquiri potuerunt, præſtare debet emptori, vt habeat.

9. *Paulus* libro 76. ad Edictum.

SI vendideris ſeruum mihi Titij, deinde Titius heredem me reliquerit: Sabinus ait, amiſſam actionem pro euictione: quoniam ſeruus non poteſt euinci. ſed in ex empto actione decurrendum eſt.

10. *Celſus* libro 27. Digeſtorum.

SI quis per fundum, quem cum alio communem haberet, quaſi ſolus dominus eius eſſet, ius



eundi, agendi mihi vendiderit, & ceſſerit: tenebitur mihi euictionis nomine, ceteris non cedentibus.

11. *Paulus* libro 6. Reſponſorum.

LVcius Titius prædia in Germania trans Renum emit, & partem pretij intulit. cùm in reſiduam quantitatem heres emptoris conueniretur, quæſtionem retulit dicens, has poſſeſſiones ex præcepto principali partim diſtractas, partim veteranis in præmia adſignatas. quæro, an huius rei periculum ad venditorem pertinere poſſit. Paulus reſpondit, futuros caſus euictionis, poſt contractam emptionem, ad venditorem non pertinere. & ideo ſecundùm ea, quæ proponuntur, pretium prædiorum peti poſſe. 1 ¶ Ex his verbis ſtipulationis duplæ, vel ſimplę, *Eum hominem, quo de agitur, noxa eſſe ſolutum*, venditorem conueniri non poſſe propter eas noxas, quę publicè coerceri ſolent.

12. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

QVidam ex parte dimidia heres inſtitutus, vniuerſa prędia vendidit: & coheredes pretium acceperunt. euictis his, quæro, an coheredes ex empto actione teneantur. reſpondi, ſi coheredes pręſentes adfuerunt, nec diſſenſerunt, videri vnumquemque partem ſuam vendidiſſe.

13. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

BOnitatis æſtimationem faciendam, cùm pars euincitur, Proculus rectè putabat, quæ fuiſſet venditionis tempore, non cùm euinceretur:

14. *Vlpianus* libro 18. ad Edictum.

NOn in dimidiam quantitatem pretij:

15. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SEd ſi quid poſtea alluuione acceſſit: tempus, quo accedit, inſpiciendum. 1 ¶ Si vſusfructus euincatur: [illegible] fructuum, æſtimatio facienda eſt. 2 ¶ Sed & ſi ſeruus euincatur: quanti minoris ob id prædium eſt [illegible] æſtimanda eſt.

16. *Pomponius* libro 10. ad Sabinum.

EVicta re vendita, ex empto erit agendum de eo, quod acceſſit. quemadmodum, ea, quæ empto fundo nominatim acceſſerunt, ſi euicta ſint, ſimplum præſtatur.

1 ¶ Duplæ ſtipulatio committi dicitur tunc, cùm res reſtituta eſt petitori, vel damnatus eſt litis æſtimatione, vel poſſeſſor ab emptore conuentus abſolutus eſt.

2 ¶ Si ſeruus, cuius nomine duplam ſtipulati fuimus, euictus fuerit à nobis ob id, quòd fugitiuus, vel ſanus non fuerit: an agere nihilo minùs poſſumus, quæritur. Proculus videndum ait, ne hoc quoque interſit, vtrum tum euictus ſit, cùm meus factus non eſſet, an tum, cùm meus factus eſſet. in eo enim caſu, quo meus factus eſt, ſtatim mea intereſt, quanto ob id deterior eſt. & quam actionem ſemel ex ſtipulatu habere cœpi, eam nec euictione, nec morte, nec manumiſſione, nec fuga ſerui, nec vlla ſimili cauſa amitti. at ſi in bonis meis factus nõ ſit: nihil obeſſe, quod fugitiuus ſit, pauperior ſim: vtpote cùm in bonis meis non ſit. Quod ſi ſanum eſſe, erronẽ non eſſe, ſtipulatus eſſem: tantum mea intereſſe, quantum ad præſentem vſum pertineret: tametſi in obſcuro eſſet: vtpote ignorantibus nobis, quamdiu enim habiturus eſſem, & an futurum eſſet, vt eum quiſquam aut à me, aut ab eo, cui vendidiſſem, cuíve ſimiliter promiſiſſem euinceret. ſummam autem opinionis ſuæ hanc eſſe, vt tantùm ex ea ſtipulatione conſequar, quanti mea interſit, aut poſt ſtipulationem interfuerit, eum ſeruum fugitiuum non eſſe.

17. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

VIndicantem venditorem rem, quam ipſe vendidit, exceptione doli poſſe ſummoueri, nemini dubium eſt: quamuis alio iure dominium quæſierit. improbè enim rem à ſe diſtractam euincere conatur. eligere autem emptor poteſt, vtrum rem velit retinere, intentione per exceptionem eliſa, an potiùs, re ablata, ex cauſa ſtipulationis duplum conſequi.

18. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SEd etſi exceptio omiſſa ſit, aut, oppoſita ea, nihilo minùs euictus ſit: ex duplæ quoque ſtipulatione, vel ex empto poteſt conueniri.

19. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

SEd & ſi ſtipulatio nulla fuiſſet interpoſita, de ex empto actione idem dicemus.

1 ¶ Si homo liber, qui bona fide ſeruiebat, venierit mihi à Titio, Titiúſque eum heredem ſcripſerit, quaſi liberum, & ipſe mihi ſui faciat controuerſiam: ipſum de ſe obligatum habebo.

20. *Pomponius* libro 10. ad Sabinum.

FVndum meum obligaui, deinde alienaui tibi, vt eo nomine non obligaVeris. ſi eum poſtea abs te emam, & ſatis pro euictione mihi des: excipiendum cautione, quòd pro me obligatus ſit: quia etiam, non excepto eo, agendo eo nomine contra te, doli mali exceptione poſſim ſummoueri.

21. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

SI ſeruus venditus deceſſerit, antequàm euincatur: ſtipulatio non committitur, quia nemo eum euincat. ſed factum humanæ ſortis: de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit. 1 ¶ Inde Iulianus libro quadrageſimotertio eleganter definit, duplę ſtipulationem tunc committi, quotiens res ita amittitur, vt eam emptori habere non liceat propter ipſam euictionem. 2 ¶ Et ideo ait, ſi emptor hominis, mota ſibi controuerſia, venditorem dederit procuratorem, iſque victus, litis æſtimationem ſuſtulerit, ſtipulationem duplæ non committi: quia nec mandati actionem procurator hic, idémque venditor, habet, vt ab emptore litis æſtimationem conſequatur. cùm igitur neque corpus, neque pecunia emptori abſit: nõ oportet committi ſtipulationem. quamuis, ſi ipſe, iudicio accepto, victus eſſet, & litis æſtimationem ſuſtuliſſet, placeat committi ſtipulationem: vt & ipſe Iulianus eodem libro ſcripſit. neque enim habere licet eum: cuius ſi pretium quis non dediſſet, ab aduerſario aufeRetur. propè enim hunc ex ſecunda emptione, id eſt ex litis æſtimatione, emptori habere licet, non ex priſtina. 3 ¶ Idem Iulianus eodem libro ſcribit, ſi lite conteſtata fugerit homo culpa poſſeſſoris, damnatus quidem erit poſſeſſor, ſed non ſtatim eum ad venditorem regreſſurum, & ex duplæ ſtipulatione acturum: quia interim, non propter euictionem, ſed propter fugam, ei hominem habere non licet. planè (inquit) cum adprehenderit poſſeſſionem fugitiui: tunc cõmitti ſtipulationẽ, Iulianus ait. nam & ſi ſine culpa poſſeſſoris fugiſſet, deinde, cautionibus interpoſitis, abſolutus eſſet: non aliàs committeretur ſtipulatio, quàm ſi adprehenſum hominẽ reſtituiſſet. vbi igitur litis æſtimationem optulit, ſufficit adprehendere: vbi cauit, non priùs niſi reſtituerit.

22. *Pomponius* libro 1. ex Plautio.

SI pro re pupilli, quam emit, litis æſtimationem tutor non ex pecunia pupilli, ſed ex ſuo præſtiterit: ſtipulatio de euictione pupillo aduerſus venditorem committitur. 1 ¶ Si pro euictione fundi, quem emit mulier ſatis accepiſſet, & eundem fundum in dotem dediſſet, deinde aliquis eum à marito per iudicium abſtuliſſet: poteſt mulier ſtatim agere aduerſus fideiuſſores emptionis nomine, quaſi minorem dotem habere cœpiſſet, vel etiam nullam, ſi tantum maritus optuliſſet, quanti fundus eſſet.

23. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

SEd & ſi poſt mortem mulieris euincatur: regreſſus erit ad duplæ ſtipulationem. quia ex promiſſione maritus aduerſus heredes mulieris agere poteſt: & ipſi ex ſtipulatu agere poſſunt.

24. *Africanus* libro 6. Quæſtionum.

NOn tamen ei conſequens eſſe; vt, & ipſi domino nuptura, in dotem eum dederit, committi ſtipulationem dicamus: quamuis æquè indotata mulier futura ſit. quoniam quidem etiam ſi verum ſit, habere ei non licere ſeruum: illud tamen verum non ſit, iudicio eum euictum eſſe. ex empto tamen contra venditorem mulier habet actionem.

25. *Vlpianus* libro 29. ad Sabinum.

SI ſeruum, cuius nomine duplam ſtipulatus ſis, manumiſeris: nihil ex ſtipulatione conſequi poſſis: quia non euincitur, quo minùs habere tibi liceat, quem ipſe antè voluntate tua perdideris.

26. *Paulus* libro 5. ad Sabinum.

SEd hoc nomine, quòd libertum quis non habeat, ex vendito actionem habet; ſi ſcierit venditor, alienum ſe vendere. Sed & ſi ex cauſa fideicommiſſi emptor coactus fuerit eum manumittere: ex empto actionem habebit.

27. *Pomponius* libro 11. ad Sabinum.

HOc iure vtimur: vt, exceptiones ex perſona emptoris obiectæ ſi obſtant, venditor eo nomine non teneatur: ſi verò ad perſonam venditoris reſpicient, contrà. certè nec ex empto, nec ex ſtipulatione duplæ, nec ſimplæ, actio competit emptori; ſi exceptio ei, ex facto ipſius oppoſita, obſtiterit.

28. *Vlpianus* libro 80. ad Edictum.

SEd ſi ex vtriuſq; perſona, & auctoris & emptoris, exceptiones obiiciuntur: intererit, propter quam exceptionem iudex contrà iudicauerit. & ſic, aut committetur, aut non committetur ſtipulatio.

29. *Pomponius* libro 11. ad Sabinum.

SI rem, quam mihi alienam vendideras, à domino redemerim: falſum eſſe; quod Nerua reſpondiſſet, poſſe te à me pretium conſequi, ex vendito agentem, quaſi habere mihi rem liceret, Celſus filius aiebat: quia nec bonæ fidei conueniret, & ego ex alia cauſa rem haberem.

1 ¶ Si duplæ ſtipulator, ex poſſeſſore petitor factus, & victus ſit; quam rem, ſi poſſideret, retinere potuerit, peti autem vtiliter non poterit: vel ipſo iure promiſſor duplę tutus erit, vel certè doli mali exceptione ſe tueri poterit. ſed ita, ſi culpa, vel ſponte duplæ ſtipulatoris poſſeſſio amiſſa fuerit.

2 ¶ Quolibet tempore venditori renũtiari poteſt, vt de ea re agenda adſit: quia non præfinitur certum tempus in ea ſtipulatione: dum tamen ne prope ipſam condemnationem id fiat.

30. *Idem* libro 19. ad Sabinum.

SI emptori: qui ſtipulatus ſit, furtis, noxiſque ſolutum eſſe; heres extiterit is, cui ſeruus furtum fecerit: incipit is ex ſtipulatu actionem habere, quemadmodum ſi ipſe alij præſtitiſſet.

31. *Vlpianus* libro 42. ad Sabinum.

SI ita quis ſtipulanti ſpondeat, *ſanum eſſe, furem non eſſe, viſpellionem non eſſe*, & cetera: inutilis ſtipulatio quibuſdam videtur: quia ſi quis eſt in hac cauſa, impoſſibile eſt, quod promittitur. ſi non eſt, fruſtra eſt. ſed ego puto verius hanc ſtipulationem, *furem nõ eſſe, viſpellionem non eſſe, ſanum eſſe*, vtilem eſſe. hoc enim continere, quod intereſt, horum quid eſſe, vel horum quid non eſſe. ſed & ſi cui horum fuerit adiectum *præſtari*, multo magis valere ſtipulationem. alioquin ſtipulatio, quæ ab ædilibus proponitur, inutilis erit. quod vtique nemo ſanus probabit.

32. *Idem* libro 46. ad Sabinum.

QVia dicitur, quotiens plures res in ſtipulationem deducuntur, plures eſſe ſtipulationes: an & in duplæ ſtipulatione hoc idem ſit, videamus. cùm quis ſtipulatur, *Fugitiuum non eſſe, erronem non eſſe*, & cetera, quę ex edicto ædilium curulium promittuntur: vtrùm vna ſtipulatio eſt, an plures? & ratio facit, vt plures ſint.

1 ¶ Ergo & illud procedit, quod Iulianus libro quintodecimo digeſtorum. ſcribit. ego (inquit) quanti minoris propter fugam ſerui: deinde agit propter morbum. id agendum eſt, (inquit) ne lucrum faciat emptor, & bis eiuſdem vitij æſtimationem conſequatur. fingamus emptum decem: minoris autem empturum fuiſſe duobus, ſi tantum fugitiuum eſſe ſciſſet emptor: hæc conſecutum propter fugam. mox comperiſſe, quod non eſſet ſanus: ſimiliter duobus minoris empturum fuiſſe, ſi de morbo non ignoraſſet: rurſus conſequi debebit duo. nam, & ſi de vtroque ſimul egiſſet, quattuor eſſet conſecuturus: quia eum fortè, qui neque ſanus, & fugitiuus eſſet, ſed tantùm eſſet empturus. ſecundùm hæc ſæpiùs ex ſtipulatu agi poterit: neque enim ex vna ſtipulatione, ſed ex pluribus agitur.

33. *Idem* libro 51. ad Sabinum.

SI ſeruum emero, & eundem vendidero, deinde emptori ob hoc fuero condemnatus, quia tradere non potui euictum: committitur ſtipulatio.

34. *Pomponius* libro 27. ad Sabinum.

SI mancipium ita emeris, ne proſtituatur, &, cùm proſtitutum fuiſſet, vt liberum eſſet: ſi, contra legem venditionis faciente te, ad libertatem peruenerit, tu videris quaſi manumiſiſſe. & ideo nullum aduerſus venditorem habebis regreſſum.

1 ¶ Si communi diuidundo mecum actum eſſet, & aduerſario ſeruus adiudicatus ſit, quia probauit eũ communem eſſe: habebo ex duplæ ſtipulatione actionem: quia non intereſt, quo genere iudicij euincatur, vt mihi habere non liceat.

2 ¶ Duplæ ſtipulatio euictionem non vnam continet, ſi quis dominium rei petierit, & euicerit: ſed & ſi Seruiana actione experiatur.

35. *Paulus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

EVictus autem à creditore tunc videtur, cùm ferè ſpes habẽdi abſciſa eſt. itaque ſi Seruiana actione euictus ſit: committitur quidem ſtipulatio: ſed quoniam, ſoluta à debitore pecunia, poteſt ſeruum habere: ſi ſoluto pignore venditor conueniatur, poterit vti doli exceptione.

36. *Idem* libro 29. ad Edictum.

NAue aut domu empta, ſingula cæmenta vel tabulæ emptæ non intelleguntur. Ideòque nec euictionis nomine obligatur venditor, quaſi euicta parte.

37. *Vlpianus* libro 32. ad Edictum.

EMptori duplam promitti à venditore oportet. niſi aliud conuenit: non tamen vt ſatiſdetur, niſi ſpecialiter id actũ proponatur: ſed vt repromittatur.

1 ¶ Quod autem diximus, duplam promitti oportere, ſic erit accipiendum: vt non ex omni re id accipiamus: ſed de his rebus, quæ pretioſiores eſſent: ſi margarita fortè, aut ornamenta pretioſa, vel veſtis ſerica, vel quid aliud non contemptibile veniat. Per edictũ autem curulium etiam de ſeruo cauere venditor iubetur.

2 ¶ Si ſimplam pro dupla per errorem ſtipulatus ſit emptor: re euicta, conſecuturum eum ex empto Neratius ait, quanto minus ſtipulatus ſit: ſi modo omnia facit emptor, quæ in ſtipulatione continentur. quòd ſi non fecit: ex empto id tantum conſecuturum, vt ei promittatur, quod minus in ſtipulationem ſuperiorem deductum eſt.

38. *Idem* libro 2. Diſputationum.

IN creditore, qui pignus vendidit, tractari poteſt, an re euicta vel ad hoc teneatur ex empto, vt, quam habet aduerſus debitorem actionem, eam præſtet. habet autem contrariam pigneraticiam actionem, & magis eſt, vt præſtet. cui enim non æquum videbitur. vel hoc ſaltem conſequi emptorem, quod ſine diſpendio creditoris futurum eſt?

39. *Iulianus*



39. *Iulianus* libro 57. Digeſtorum.

MInor viginti quinque annis fundum vendidit Titio. eum Titius Seio minor ſe in ea venditione circumſcriptum dicit: & impetrat, cognitionem non tantum aduerſus Titium, ſed etiam aduerſus Seium. Seius poſtulabat apud prætorem, vt ſibi de euictione ſtipulationem in Titium daret. ego dandam putabam, reſpondi: iuſtam rẽ Seius poſtulat, nam ſi ei fundus prætoria cognitione ablatus fuerit: æquum erit, per eundem prætorem & euictionem reſtitui. 1 ¶ Si ſeruus tuus emerit hominem, & eundem vendiderit Titio, eiuſque nomine duplam promiſerit, & tu à venditore ſerui ſtipulatus fueris: ſi Titius ſeruum petierit, & ideo victus ſit, quòd ſeruus tuus in tradendo ſine voluntate tua proprietatem hominis transferre non potuiſſet: ſupererit Publiciana actio. & propter hoc duplæ ſtipulatio ei non committetur. quare venditor quoque tuus agentem te ex ſtipulatu, poterit doli mali exceptione ſummouere. Alias autem ſi ſeruus hominem emerit, & duplam ſtipuletur, deinde eum vendiderit, & ab emptore euictus fuerit: domino quidem aduerſus venditorẽ in ſolidum competit actio, emptori verò aduerſus dominum dumtaxat de peculio. Denuntiare verò de euictione emptor ſeruo, non domino debet. ita enim, euicto homine, vtiliter de peculio agere poterit. ſin autem ſeruus deceſſerit, tunc domino denuntiandum eſt. 2 ¶ Si a me beſſem fundi emeris, à Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi a te quis petierit: ſi quidem ex beſſe, quem a me acceperas, ſemis petitus fuerit: Titius non tenebitur. ſi verò triens, quem Titius tibi tradiderat, & ſextans ex beſſe, quem à me acceperas, petitus fuerit: Titius quidem pro triente, ego pro ſextante euictionem tibi præſtabimus. 3 ¶ Pater ſciens filium ſuum, quem in poteſtate habebat, ignoranti emptori vendidit. quæſitum eſt, an euictionis nomine teneatur. reſpondit: Qui liberum hominem ſciens, vel ignorans, tanquam ſeruum, vendat: euictionis nomine obligatur. 4 ¶ Qui ſtatuliberum tradit, niſi dixerit eum ſtatuliberum eſſe, euictionis nomine perpetuò obligatur. 5 ¶ Qui ſeruum venditum tradit, & dicit vſumfructum in eo Seij eſſe, cùm ad Sempronium pertineat: Sempronio vſumfructum petente, perinde tenetur, ac ſi in tradendo dixiſſet, vſusfructus nomine aduerſus Seium non teneri. & ſi re vera Seij vſusfructus fuerit, legatus autem ita, vt, cùm ad Seium pertinere deſiiſſet, Sempronij eſſet, Sempronio vſumfructum petente, tenebitur. Seio agente, rectè defugiet.

40. *Idem* libro 58 Digeſtorum.

SI is, qui ſatis à me de euictione accepit, fundum à me herede legauerit: confeſtim fideiuſſores liberabuntur. quia etiam ſi euictus fuerit ab eo, cui legatus fuerat: nulla aduerſus fideiuſſores actio eſt.

41. *Paulus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

SI ei, cui vendidi, & duplam promiſi, cùm ipſe eadem ſtipulatione mihi cauiſſet, heres extiterim: euicto homine, nulla parte ſtipulatio committitur. neque enim mihi euinci videtur, cùm vendiderim eum: neque ei, cui me promiſſorem præſtarem, quoniam parum commodè dicar ipſe mihi duplam præſtare debere. 1 ¶ Item ſi domino ſerui heres extiterit emptor: quoniam euinci ei non poteſt, nec ipſe ſibi videtur euincere: non committitur duplæ ſtipulatio. his igitur caſibus ex empto agendum erit. 2 ¶ Si is, qui fundum emerit, & ſatis de euictione acceperit, & eũdẽ fũdũ vendiderit, emptori ſuo heres extiterit: vel ex cõtrario emptor venditori heres extiterit: an, euicto fundo, cum fideiuſſoribus agere poſſit, quæritur. exiſtimo autem, vtroque caſu fideiuſſores teneri. quoniam & cùm debitor creditori ſuo heres extiterit: ratio quædam inter heredem, & hereditatem ponitur: & intellegitur maior hereditas ad debitorem peruenire, quaſi ſoluta pecunia, quæ debebatur, hereditati: & per hoc minus in bonis heredis eſſe: & ex contrario, cùm creditor debitori ſuo extitit heres: minus in hereditate habere videtur, tanquàm ipſa hereditas heredi ſoluerit. Siue ergo is, qui de euictione ſatis acceperat, emptori, cui ipſe vendiderat, ſiue emptor venditori ſuo heres extiterit: fideiuſſores tenebuntur. &, ſi ad eundem venditoris & emptoris hereditas reciderit, agi cum fideiuſſoribus poterit.

42. *Paulus* libro 53. ad Edictum.

SI prægnas ancilla vendita, & tradita ſit euicto partu, venditor non poteſt de euictione conueniri: quia partus venditus non eſt.

43 *Iulianus* libro 58. Digeſtorum.

VAccæ emptor, ſi vitulus, qui poſt emptionem natus eſt, euincatur, agere ex duplæ ſtipulatione non poteſt: quia nec ipſa, nec vſusfructus euincitur. nam quod dicimus, vitulum fructum eſſe vaccæ, non ius, ſed corpus demonſtramus. ſicuti prædiorum frumenta & vinum, fructum rectè dicimus: cùm conſtet, eadem hæc non rectè vſumfructum appellari.

44. *Alfenus* libro 7. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

SCapham non videri nauis eſſe reſpondit, nec quicquam coniunctum habere. nam ſcapham ipſam per ſe paruam nauiculam eſſe. omnia autem, quæ coniuncta naui eſſent: veluti gubernacula, malus, antemnæ, velum: quaſi membra nauis eſſe.

45. *Idem* libro 4. Digeſtorum à Paulo Epitomatorum.

QVi fundum tradiderat iugerum centum, fines multò amplius emptori demõſtrauerat. ſi quid ex his finibus euinceretur: pro bonitate eius, emptori præſtandum ait. quamuis id, quod relinqueretur, centum iugera haberet.

46. *Africanus* libro 6. Quæſtionum.

FVndum cuius vſusfructus Attij erat, mihi vendidiſti: nec dixiſti vſumfructum Attij eſſe. hunc ego Mæuio detracto vſufructu, tradidi. Attio capite minuto, non ad me, ſed ad proprietatem vſumfructum redire ait: neque enim potuiſſe conſtitui vſumfructum eo tempore, quo alienus eſſet: ſed poſſe me, venditorem te de euictione conuenire: quia æquum ſit, eandem cauſam meam eſſe, quæ futura eſſet, ſi tunc vſusfructus alienus non fuiſſet. 1 ¶ Si per alienum fundum mihi viam conſtitueris: euictionis nomine te obligari, ait. etenim quo caſu, ſi per proprium conſtitueris fundum cõceſſa eſſet via, rectè conſtitueretur: eo caſu, ſi per alienum concederetur, euictionis obligationem contrahit.

2 ¶ Cùm tibi Stichum venderem: dixi, eum ſtatuliberum eſſe, ſub hac condicione manumiſſum, *Si nauis ex Aſia venerit*. is autem, *Si Titius conſul factus fuerit*, manumiſſus erat. quærebatur, ſi priùs nauis ex Aſia venerit, ac poſt Titius conſul fiat, atque ita in libertatem euictus ſit, an euictionis nomine teneatur. reſpondit, non teneri eum. etenim dolo malo emptorem faceret: cùm priùs extiterit ea condicio, quàm euictionis nomine exſoluerit. 3 ¶ Item ſi poſt biennium liberum fore dixi, qui poſt annum libertatem acceperit, & poſt biennium in libertate euincatur: vel decem dare iuſſum, dixerim quinque, &, his decem datis, ad libertatem peruenerit: magis eſſe, vt his quoque caſibus non tenear.

47. *Idem* libro 8. Quæſtionum.

SI duos ſeruos quinis a te emam, & eorum alter euincatur: nihil dubij fore, quin rectè eo no-

mine ex empto acturus ſim: quamuis alter decem dignus ſit, nec referre, ſeparatim ſingulos, an ſimul vtrumque emerim.

48. *Neratius* libro 6. Membranarum.

CVm fundus, *vti optimus maximúſque eſt*, emptus ſit: & alicuius ſeruitutis euictæ nomine, aliquid emptor à venditore conſecutus eſt, deinde totus fundus euincitur: ob eam euictionem id præſtari debet: quod ex duplo reliquum eſt. nam ſi aliud obſeruabimus: ſeruitutibus aliquibus, & mox proprietate euicta, amplius duplo emptor, quam quanti emit, conſequeretur.

49. *Gaius* libro 7. ad Edictum Prouinciale.

SI ab emptore vſuſfructus petatur: proinde is venditori denuntiare debet, atque is, a quo pars petitur.

50. *Vlpianus* libro 25. ad Edictum.

SI pignora veneant per apparitores prætoris extra ordinem ſententias ſequentes: nemo vnquã dixit, dandam in eos actionem re euicta. ſed ſi dolo rem viliori pretio proiecerunt: nunc de dolo actio datur aduerſus eos domino rei.

51. *Idem* libro 80. ad Edictum.

SI per imprudentiam iudicis, aut errorem, emptor rei victus eſt: negamus, auctoris damnum eſſe debere: aut quid refert, ſordibus iudicis, an ſtultitia res perierit? iniuria enim, quæ fit emptori, auctorem non debet contingere. 1 ¶ Si Titius Stichum, poſt mortem ſuam liberum eſſe iuſſum, vendiderit, mortuo deinde eo, Stichus ad libertatẽ peruenerit: an ſtipulatio de euictione interpoſita teneat? & ait Iulianus, committi ſtipulationẽ. quamuis enim Titius hoc caſu denuntiari pro euictione non potuiſſet, heredi tamen eius denuntiari potuiſſet. 2 ¶ Si quis locum vendiderit, & idem venditor ab herede ſuo voluntate emptoris, in eo ſepultus fuerit: actio de euictione intercidit. hoc caſu enim emptor proprietatem amittet. 3 ¶ Non mirum autem eſt, vt, euicto homine, de euictione teneatur heres, quamuis defunctus non ſimiliter fuerit obſtrictus: cùm & aliis quibuſdam caſibus plenior aduerſus heredem vel heredi competat obligatio, quam cõpetierat defuncto. vt cùm ſeruus poſt mortem emptoris heres inſtitutus eſt, iuſſúque heredis emptoris, adiit hereditatem. nam actione ex empto præſtare debet hereditatem: quamuis defuncto in hoc tantùm fuit vtilis ex empto actio, vt ſeruus traderetur. 4 ¶ Si plures mihi in ſolidum pro euictione teneantur, deinde, poſt euictionem cum vno fuero expertus: ſi agam cum ceteris: exceptione me eſſe repellendum, Labeo ait.

52. *Idem* libro 81. ad Edictum.

SCiendum eſt, nihil intereſſe, ex qua cauſa duplæ ſtipulatio fuerit interpoſita, vtrum ex cauſa emptionis, an ex alia, vt committi poſſit.

53. *Paulus* libro 77. ad Edictum.

SI, fundo tradito, pars euincatur: ſi ſingula iugera venierint certo pretio: tunc non pro bonitate, ſed quanti ſingula venierint, quæ euicta fuerint: præſtandum, etiam ſi ea, quæ meliora fuerunt, euicta ſint. 1 ¶ Si, cùm poſſit emptor auctori denuntiare, non denuntiaſſet, idémque victus fuiſſet, quoniam parum inſtructus eſſet: hoc ipſo videtur dolo feciſſe: & ex ſtipulatu agere non poteſt.

54. *Gaius* libro 28. ad Edictum Prouinciale.

QVi alienam rem vendidit: poſt longi temporis præſcriptionem, vel vſucapionem, deſinit emptori teneri de euictione. 1 ¶ Si heres ſtatuliberum, qui ſub condicione, pecuniæ dandæ liber eſſe iuſſus eſt, vendiderit: & maiorem pecuniam in condicione eſſe dixerit, quàm dare ei iuſſus eſt: ex empto tenetur: ſi modò talis eſt condicio, vt ad emptorem tranſiret. id eſt, ſi heredi dare iuſſus eſt ſeruus. nam ſi alij dare iuſſus, quamuis veram pecuniæ quantitatem dixerit, tamen, ſi nõ admonuerit, alij dare iuſſum, euictionis nomine tenebitur.

55. *Vlpianus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

SI ideo contra emptorem iudicatum eſt, quòd defuit: non committitur ſtipulatio, magis enim propter abſentiam victus videtur, quàm quòd malam cauſam habuit. Quid ergo, ſi ille quidem, contra quem iudicatum eſt, ad iudicium non adfuit: alius autem adfuit, & cauſam egit? quid dicemus? vt puta acceptum quidem cum pupillo, tutore auctore, fuit iudicium: ſed abſente pupillo, tutor cauſam egit: & iudicatum eſt contra tutorem. quare non dicemus committi ſtipulationem? etenim, actam eſſe cauſam, palam eſt: & ſatis eſt, ab eo, cui ius agendi fuit, cauſam eſſe actam. 1 ¶ Præſenti autem venditori denuntiandum eſt. ſiue autem abſit, ſiue præſens ſit, & per eum fiat, quo minus denuntietur: committetur ſtipulatio.

56. *Paulus* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

SI dictum fuerit vendendo, vt ſimpla promittatur, vel triplum, aut quadruplum promitteretur: ex empto perpetua actione agi poterit. non tamen vt vulgus opinatur, etiam ſatiſdare debet, qui duplam promittit: ſed ſufficit nuda repromiſſio, niſi aliud conuenerit. 1 ¶ Si compromiſero, & contra me data fuerit ſententia: nulla mihi actio de euictione danda eſt aduerſus venditorem: nulla enim neceſſitate cogente, id feci. 2 ¶ In ſtipulatione duplæ, cùm homo venditur, partis adiectio neceſſaria eſt: quia non poteſt videri homo euictus, cùm pars eius euicta eſt.

3 ¶ Si, cùm poſſit vſucapere emptor, non cepit culpa ſua hoc feciſſe videtur. vnde ſi euictus eſt ſeruus, non tenetur venditor. 4 ¶ Si præſente promiſſore, qui de euictione promiſit, & non ignorante, procuratori denuntiatum ſit: nihilominus promiſſor tenetur. 5 ¶ Simili modo tenetur, & qui curauit, ne ſibi denuntiari poſſit. 6 ¶ Sed & ſi, nihil venditore faciente, emptor cognoſcere, vbi eſſet, non potuit: nihilo minus committitur ſtipulatio. 7 ¶ Pupillo etiam ſine tutoris auctoritate poſſe denuntiari, ſi tutor non appareat, ex duplæ ſtipulatione, benignius receptum eſſe, Trebatius ait.

57. *Gaius* libro 2. ad Edictum ædilium curulium.

HAbere licere rem videtur emptor: & ſi is, qui emptorem in euictione rei vicerit, ante ablatã, vel abductam rem, ſine ſucceſſore deceſſerit: ita vt neque ad fiſcum bona peruenire poſſint, neque priuatim a creditoribus diſtrahi, tunc enim nulla cõpetit emptori ex ſtipulatu actio: quia rem habere ei licet. 1 ¶ Quod cùm ita eſt: videamus, num, & ſi ab eo, qui vicerit, donata, legatave res fuerit emptori: æque dicendum ſit, ex ſtipulatu actionem non naſci. ſcilicet ſi, antequam abduceret vel auferret, donauerit aut legauerit. alioquin ſemel cõmiſſa ſtipulatio reſolui non poteſt.

58. *Iauolenus* libro 1. ex Plautio.

HEres ſeruum non nominatim legatum tradidit, & de dolo repromiſit. poſtea ſeruus euictus eſt. agere cum herede legatarius ex teſtamento poterit: quamuis heres alienum eſſe ſeruum, ignorauerit.

59. *Pomponius* libro ſecundo ex Plautio.

SI res, quam a Titio emi, legata ſit à me: non poteſt legatarius conuentus a domino rei, venditori meo denuntiare: niſi ceſſæ ei fuerint actiones, vel quodam caſu hypothecas habet.

60. *Iauolenus* libro 2. ex Plautio.

SI in venditione dictum non ſit, quantum venditorem pro euictione præſtare oporteat, nihil venditor præſtabit, præter ſimplam, euictionis nomine: & ex natura ex empto actionis, hoc quod intereſt.

61. *Marcellus* libro octauo Digeſtorum.

SI, quod a te emi, & Titio vendidi, voluntate





mea Titio tradideris: de euictione te mihi teneri, ſicuti ſi acceptam rem tradidiſſem, placet.

62. *Celſus* libro 27. Digeſtorum.

SI rem, quæ apud te eſſet, vendidiſſem tibi: quia pro tradita habetur: euictionis nomine me obligari, placet. 1 ¶ Si ei, qui mihi vendidit, plures heredes extiterunt: vna, de euictione, obligatio eſt. omnibúſque denuntiari: & omnes defendere debent. ſi de induſtria non venerint in iudicium, vnus tamen ex his liti ſubſiſtit: propter denuntiationis vigorem, & prædictam abſentiam, omnibus vincit, aut vincitur. rectéq; cum ceteris agam, quod euictionis nomine victi ſint. 2 ¶ Si fundum, in quo vſusfructus Titij erat, qui ei relictus eſt, quoad viuet, detracto vſuſfructu ignoranti mihi vendideris; & Titius capite deminutus fuerit; & aget Titius, ius ſibi eſſe vtendi fruendi; competit mihi aduerſus te ex ſtipulatione de euictione actio. quippe ſi verum erat, quod mihi dixiſſes in venditione: rectè negarem, Titio ius eſſe vtendi fruendi.

63. *Modeſtinus* libro 5. Reſponſorum.

HErennius Modeſtinus reſpondit, non obeſſe emptori agenti, quod denuntiatio pro euictione interpoſita non eſſet, ſi pacto ei remiſſa eſſet denuntiãdi neceſsitas. 1 ¶ Caia Seia fundum à Lucio Titio emerat, & quæſtione mota fiſci nomine, auctorẽ laudauerat, &, euictione ſecuta, fundus ablatus, & fiſco adiudicatus eſt, venditore præſente quæritur, cùm emptrix non prouocauerat, an venditorem poterit conuenire. Herennius Modeſtinus reſpondit: ſiue quod alienus fuit, cùm veniret; ſiue quod tunc obligatus, euictus eſt: nihil proponi, cur emptrici aduerſus venditorem actio non competat. 2 ¶ Herennius Modeſtinus reſpondit: Si emptor appellauit, & bonam cauſam vitio ſuo ex præſcriptione perdidit: ad auctorem reuerti non poteſt.

64. *Papinianus* libro 7. Quæſtionum.

EX mille iugeribus traditis ducenta flumen abſtulit. ſi poſtea pro indiuiſo ducenta euincantur: duplæ ſtipulatio pro parte quinta, non quarta, præſtabitur. nam quod periit, damnum emptori, non venditori attulit. ſi totus fundus, quem flumen deminuerat, euictus fuiſſet, iure non deminuetur euictionis obligatio. non magis, quam ſi incuria fundus, aut ſeruus traditus, deterior factus ſit. nam & econtrario nõ augetur quantitas euictionis, ſi res melior fuerit effecta. 1 ¶ Quod ſi modo terræ integro, qui fuerat traditus, ducenta iugera per alluſionem acceſſerunt; ac poſtea pro indiuiſo pars quinta totius euicta ſit: perinde pars quinta præſtabitur, ac ſi ſola ducenta de illis mille iugeribus, quæ tradita ſunt, fuiſſent euicta: quia alluſionis periculum non præſtat venditor. 2 ¶ Quæſitum eſt: ſi, mille iugeribus traditis, periſſent ducenta; mox alluuio per aliam partem fundi ducenta attuliſſet; ac poſtea pro indiuiſo quinta pars euicta eſſet: pro qua parte auctor teneretur. dixi, conſequens eſſe ſuperioribus, vt neque pars quinta mille iugerum, neq; quarta debeatur, euictionis nomine: ſed perinde teneatur auctor, ac ſi de octingentis illis reſiduis ſola centum ſexaginta fuiſſent euicta. nam reliqua quadraginta, quæ vniuerſo fundo deceſſerunt, pro rata nouæ regionis eſſe intellegi. 3 ¶ Ceterùm cùm pro diuiſo pars aliqua fundi euincitur: tametſi certus numerus iugerum traditus ſit: tamen non pro modo, ſed pro bonitate regionis, præſtatur euictio. 4 ¶ Qui vnum iugerum pro indiuiſo ſolùm habuit, tradidit. ſecundùm omnium ſententias non totum dominium tranſtulit, ſed partem dimidiam iugeri: quemadmodum ſi locum certum, aut fundum ſimiliter tradidiſſet.

65. *Idem* libro 8. Quæſtionum.

REm hereditariam pignori obligatam heredes vendiderunt, & euictionis nomine pro partibus hæreditariis ſpoponderunt. cùm alter pignus pro parte ſua liberaſſet, rem creditor euicit. quærebatur, an vterque heredum conueniri poſsit. idque placebat propter indiuiſam pignoris cauſam, nec remedio locus eſſe videbatur, vt per doli exceptionem actiones ei, qui pecuniam creditori dedit, præſtarentur: quia non duo rei facti proponerentur. ſed familiæ erciſcundæ iudicium eo nomine vtile eſt. nam quod intereſt, vnus ex hæredibus in totum liberauerit pignus, an verò pro ſua dumtaxat portione? cùm cohæredis neglegentia damnoſa non debet eſſe alteri.

66. *Idem* libro 28. Quæſtionum.

SI, cùm venditor admonuiſſet emptorem, vt Publiciana potiùs, vel ea actione, quæ de fundo vectigali propoſita eſt, experiretur, emptor id facere ſuperſedit: omnimodo nocebit ei dolus ſuus, nec cõmittitur ſtipulatio. Non idem in Seruiana quoque actione probari poteſt. hæc enim etſi in rem actio eſt, nudam tamen poſſeſſionem auocat: &, ſoluta pecunia venditori, diſſoluitur. vnde fit, vt emptori, ſuo nomine, non competat.

1 ¶ Si is, qui reipublicæ cauſa afuit, fundum petat: vtilis poſſeſſori pro euictione competit actio. Item, ſi priuatus à milite petat, eadem æquitas eſt emptori reſtituendæ pro euictione actionis.

2 ¶ Si ſecundus emptor venditorem eundémque emptorem ad litem hominis dederit procuratorem, &, non reſtituto eo, damnatio fuerit ſecuta: quodcumque ex cauſa iudicati præſtiterit procurator, vt in rem ſuam datus, ex ſtipulatu conſequi non poterit. ſed quia damnum euictionis ad perſonam pertinuit emptoris, qui mandati iudicio nihil percepturus eſt: non inutiliter ad percipiendam litis æſtimationem agetur, ex vendito.

3 ¶ Diuiſione inter cohæredes facta, ſi procurator abſentis interfuit, & dominus ratam habuit, euictis prædiis, in dominum actio dabitur, quæ daretur in eum, qui negotium abſentis geſſit: vt, quanti ſua intereſt, actor conſequatur: ſcilicet vt melioris, aut deterioris agri facti cauſa, finem pretij, quo fuerat tempore diuiſionis æſtimatus, deminuat, vel excedat.

67. *Idem* libro 10. Reſponſorum.

EMptori poſt euictionem ſerui, quem dominus abduxit, venditor eundem ſeruum poſt tempus offerendo, quo minùs præſtet, quod emptoris intereſt, non rectè defenditur.

68. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

CVm ea condicione pignus diſtrahitur, ne quid, euictione ſecuta, creditor præſtet: quamuis pretium emptor non ſoluerit, ſed venditori cauerit: euictione ſecuta, nullam emptor exceptionem habebit, quo minùs pretium ſoluat. 1 ¶ Creditor, qui pro pecunia nomen debitoris per delegationẽ ſequi maluit, euictis pignoribus, quæ prior creditor accepit, nullam actionem cum eo, qui liberatus eſt, habebit.

69. *Scæuola* libro 2. Quæſtionum.

QVi libertatis cauſam excepit, in venditione, ſiue iam tunc, cùm traderetur, liber homo fuerit, ſiue, condicione, quæ teſtamento propoſita fuerit, impleta, ad libertatem peruenerit, non tenebitur euictionis nomine.

1 ¶ Qui autem in tradendo ſtatu liberũ dicit, intellegetur hanc ſpeciẽ dũtaxat libertatis excipere, quæ ex teſtamento, impleta condicione, ex præterito poſsit optingere. & ideo ſi præſẽs teſtamẽto libertas data fuerit, & vẽditor ſtatuliberũ pronuntiauit, euictionis nomine tenetur. 2 ¶ Rurſus qui ſtatuliberum tradit, ſi certam condicionem pronuntiauerit, ſub qua dicit ei libertatem datam, deteriorem condicionem ſuam feciſſe exiſtimabitur: quia non ea-

omnem cauſam ſtatutæ libertatis,ſed eam dumtaxat, quam pronuntiauerit,excepiſſe videtur. veluti, ſi quis hominem dixerit decem dare iuſſum, iſq; poſt annum ad libertatem peruenerit,quia hoc modo libertas data fuerit, *Stichus poſt annum liber eſto*: euictionis obligatione tenebitur. 3 ¶ Quid ergo? qui iuſſum decem dare pronuntiat viginti dare debere?nónne in condicionem mentitur? verum eſt, hunc quoq; in condicionem mentiri.& ideo quidam exiſtimauerunt,hoc quoque caſu euictionis ſtipulationem contrahi.Sed auctoritas Seruij præualuit exiſtimantis,hoc caſu ex empto actionem eſſe.videlicet quia putabat eum,qui pronuntiaſſet ſeruum viginti dare iuſſum,condicionem excepiſſe, quæ eſſet in dando.

4 ¶ Seruus,rationibus redditis,liber eſſe iuſſus eſt,hunc hæres tradidit,& dixit centum dare iuſſum.ſi nulla reliqua ſunt,quæ ſeruus dare debeat, & per hoc,adita hæreditate,liber factus eſt: obligatio euictionis contrahitur:eo quòd liber homo,tamquã ſtatuliber,traditur. ſi centum in reliquis habet, poteſt videri hæres non eſſe mentitus: quoniam rationes reddere iuſſus, intellegitur ſummam pecuniæ, quæ ex reliquis colligitur, iuſſus dare. cui conſequens eſt:vt,ſi minus,quàm centum, in reliquis habuerit,veluti ſola quinquaginta,vt, cùm eam pecuniam dederit,ad libertatem peruenerit: de reliquis quinquaginta actio ex empto competat.

5 ¶ Sed & ſi quis in venditione ſtatuliberũ perfuſoriè dixerit, condicionem autem libertatis celauerit:empti iudicio tenebitur, ſi id neſcierit emptor.hic enim exprimitur,eum, qui dixerit ſtatuliberum,& nullam condicionem pronuntiauerit,euictionis quidem nomine non teneri, ſi, condicione impleta,ſeruus ad libertatem peruenerit: ſed empti iudicio teneri,ſi modò condicionem, quam ſciebat præpoſitam eſſe,celauit. ſicuti qui fundum tradit, &, cùm ſciat certam ſeruitutem deberi, perfuſoriè dixerit, *Itinera,actus,quibus ſunt,vtique ſunt,rectè recipitur*:euictionis quidem nomine ſe liberat: ſed,quia decepit emptorem,empti iudicio tenetur.

6 ¶ In fundo vendito cùm modus pronuntiatus deeſt:ſumitur portio ex pretio: quod totum colligendum eſt ex omnibus iugeribus dictis.

70. *Paulus* libro 5. Quæſtionum.

EVicta re, ex empto actio non ad pretium dumtaxat recipiendum,ſed ad id,quod intereſt, competit.ergo,& ſi minor eſſe cœpit, damnum emptoris eſt.

71. *Idem* libro 16. Quæſtionum.

PAter,filiæ nomine fundum in dotem dedit, euicto eo,an ex empto, vel duplæ ſtipulatio committatur,quaſi pater damnum patiatur,non immeritò dubitatur.non enim ſicut mulieris dos eſt,ita patris eſſe dici poteſt. nec conferre fratribus cogitur dotem à ſe profectam,manente matrimonio. ſed videamus,ne probabilius dicatur, committi hoc quoque caſu ſtipulationem. intereſt enim patris,filiam dotatam habere, & ſpem quandoque recipiendæ dotis.vtique ſi in poteſtate ſit. quòd ſi emancipata eſt: vix poterit defendi, ſtatim committi ſtipulationem: cùm vno caſu ad eum dos regredi poſsit. numquid ergo tunc demum agere poſsit, cùm mortua in matrimonio filia,potuit dotem repetere, ſi euictus fundus non eſſet?an & hoc caſu intereſt patris dotatam filiam habere,vt ſtatim conuenire promiſſorem poſſit?quòd magis paterna affectio inducit.

72. *Calliſtratus* libro 2. Quæſtionum.

CVm plures fundi ſpecialiter nominatim, vno inſtrumento emptionis interpoſito, venierint:non vtiq; alter alterius fundus:pars videtur eſſe:ſed multi fundi vna emptione continentur. & quemadmodum,ſi quis complura mancipia, vno inſtrumento emptionis interpoſito,vendiderit euictionis actio in ſingula capita mancipiorum ſpectatur. & ſicut aliarum quoq; rerum complurium vna emptio facta ſit, inſtrumentum quidem emptionis interpoſitum vnum eſt,euictionum autem tot actiones ſunt, quot & ſpecies rerum ſunt, quæ emptione comprehenſæ ſunt: ita & in propoſito non vtique prohibebitur emptor,euicto ex his vno fundo, venditorem conuenire, quòd vna cautione emptionis complures fundos mercatus comprehenderit.

73. *Paulus* libro 7. Reſponſorum.

SEia fundos,Mevianum,& Seianum,& ceteros doti dedit.eos fundos vir Titius,viua Seia, ſine controuerſia poſſedit. poſt mortem deinde Seiæ, Sempronia heres Seiæ quæſtionem pro prædij proprietate facere inſtituit.quæro, cùm Sempronia ipſa ſit hæres Seiæ,an iure controuerſiam facere poſsit.Paulus reſpondit,iure quidem proprio, non hæreditario Semproniam,quæ Seiæ,de qua quæritur,hæres extitit,controuerſiam fundorum facere poſſe: ſed euictis prædiis, eandem Semproniam heredem Seiæ conueniri poſſe:vel exceptione doli mali ſummoueri poſſe.

74. *Hermogenianus* libro 2. Iuris Epitomarum.

SI plus vel minus,quàm pretij nomine datum eſt euictione ſecuta dari conuenerit:placitum cuſtodiendum eſt. 1 ¶ Si iuſſu iudicis rei iudicatæ pignus captum per officium diſtrahatur, poſt euincatur:ex empto contra eum, qui pretio liberatus eſt, non quanti intereſt,ſed de pretio dumtaxat, eiúſque vſuris,habita ratione fructuum, dabitur: ſcilicet ſi hos ei,cui euicit,reſtituere non habeat neceſſe.

2 ¶ Mota queſtione,interim,non ad pretium reſtituendum,ſed ad rem defendendam venditor cõueniri poteſt. 3 ¶ Qui nomen,quale fuit,vendidit:dumtaxat,vt ſit,non vt exigi etiam aliquid poſsit & dolum præſtare cogitur.

75. *Venuleius* libro 16. Stipulationum.

QVod ad ſeruitutes prædiorum attinet, ſi tacitè ſecutæ ſunt,& vindicentur ab alio, Quintus Mucius,& Sabinus exiſtimant, venditorem ob euictionem teneri non poſſe.nec enim euictionis nomine quemquam teneri in eo iure, quod tacitè ſoleat accedere: niſi, *Vt optimus, maximúſque eſſet*, traditus fuerit fundus. tunc enim liberum ab omni ſeruitute preſtandum.ſi verò emptor petat viam vel actum:venditorem teneri non poſſe: niſi nominatim dixerit, acceſſurum iter,vel actum. tunc enim teneri eum qui ita dixerit.& vera eſt Quinti Muci ſententia:vt,qui optimum maximúmque fundum tradidit,liberum præſtet,non etiam deberi alias ſeruitutes:niſi hoc ſpecialiter ab eo acceſſum ſit.

76. *Idem* libro 17. Stipulationum.

SI alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero:amitti auctoritatem,id eſt, actionem pro euictione,placet.

## DE EXCEPTIONE REI venditæ & traditæ. TIT. III.

*Vlpianus* libro 76. ad Edictum.

MArcellus ſcribit,ſi alienum fundum vendideris & tuum poſtea factum petas, hac exceptione rectè repellendum. 1 ¶ Sed & ſi dominus fundi, hæres venditori exiſtat:idem erit dicendum. 2 ¶ Si quis rem meam,mandatu meo,vendiderit: vindicanti mihi rem venditam,nocebit hæc exceptio: niſi probetur,me mandaſſe, ne traderetur, antequàm pretium ſoluatur. 3 ¶ Celſus ait: Si quis rem meam vendidit minoris,quàm ei mandaui:non videtur alienata;& ſi petam eam, non obſtabit mihi hæc exceptio.



quod verum eſt. 4 ¶ Si ſeruus merces peculiariter emerit,deinde dominus eum prius, quàm proprietatem rerum nanciſceretur, teſtamento liberum eſſe iuſſerit,eique peculium prælegauerit, & venditor à ſeruo merces petere cœperit: exceptio in factum locum habebit,quia is tunc ſeruus fuiſſet,cum contraxiſſet.

5 ¶ Si quis rem emerit,non autem fuerit ei tradita,ſed poſſeſſionem ſine vitio fuerit nactus:habet exceptionem contra venditorem. niſi forte venditor iuſtam cauſam habeat, cur rem vindicet. nam & ſi tradiderit poſſeſſionem,fuerit autẽ iuſta cauſa vindicanti:replicatione aduerſus exceptionem vtetur.

2. *Pomponius* libro 2. ex Plautio.

SI à Titio fundum emeris,qui Sempronij erat,iſque tibi traditus fuerit,pretio autem ſoluto,Titius Sempronij heres exſtiterit, & eundem fundum Mæuio vẽdiderit,& tradiderit:Iulianus ait,æquius eſſe,priorẽ te tueri.quia & ſi ipſe Titius fundum à te peteret,exceptione ſummoueretur & ſi ipſe Titius eum poſsideret,Publiciana peteres.

3. *Hermogenianus* libro 7. iuris Epitomatorum.

EXceptio rei venditæ & traditæ non tantùm ei, cui res tradita eſt, ſed ſucceſſoribus etiam eius, & emptori ſecundo, etſi res ei non fuerit tradita, proderit.intereſt enim emptoris primi,ſecũdo rem non euinci. 1 ¶ Pari ratione venditoris etiam ſucceſſoribus nocebit:ſiue in vniuerſum ius,ſiue in eam duntaxat rem ſucceſſerint.

# LIBER VICESIMVS SECVNDVS.

## DE VSVRIS, ET FRVCTIBVS, ET CAVSIS, ET OMNIBVS acceſsionibus,& mora.

*Papinianus* libro 2. Quæſtionum.

CVm iudicio bonæ fidei diſceptatur: arbitrio iudicis, vſurarum modus ex more regionis,vbi contractum eſt,conſtituitur. ita tamen, vt legi non offendat.

1 ¶ Socius ſi ideo condemnandus erit, quod pecuniam communem inuaſerit, vel in ſuos vſus conuerterit:omnimodo, etiam mora non interueniente,præſtabuntur vſuræ.

2 ¶ Nec tamen iudex iudicij bonæ fidei rectè iubebit interponi cautiones, vt,ſi tardiùs ſententiæ condemnatus paruerit, futuri temporis pendantur vſuræ. cùm in poteſtate ſit actoris iudicatum exigere. *Paulus notat*:Quid enim pertinet ad officium iudicis, poſt condemnationem, futuri temporis tractatus? 3 ¶ *Papinianus*:Circa tutelæ reſtitutionem pro fauore pupillorum latior interpretatio facta eſt.nemo enim ambigit hodie ſiue iudex accipiatur in diem ſententiæ, ſiue ſine iudice tutela reſtituatur,in eum diem,quo reſtituit,.vſuras præſtari.plane ſi tutelæ iudicio nolentem experiri,tutor vltro conuenerit,& pecuniam obtulerit, eamque obſignatã depoſuerit: ex eo tempore non præſtabit vſuras.

2. *Idem* libro 6. Quæſtionum.

VOlgo receptum eſt, vt, quamuis in perſonam actum ſit, poſt litem tamen conteſtatam cauſa præſtetur.cuius opinionis ratio redditur:quoniam, quale eſt,cùm petitur, tale dari debet.ac propterea poſtea captos fructus,partúmque editum reſtitui oportet.

3. *Idem* libro 20. Quæſtionum.

IN fideicommiſſi perſecutione, cùm,poſt iudicis ſententiam,moram feciſſet heres, iuſſit Imperator Marcus Antoninus,intermiſſo legitimo tempore,quod condemnatis præſtatur,vt vſque ad ſententiam commoda fideicommiſſarius accipiat, quod decretum ita accipi oportet,ſi ante iudicis ſententiam mora non interuenit. tametſi non facile euenire poſsit,vt,mora non præcedente, perueniatur ad iudicem. ſed puta legis Falcidiæ rationem interueniſſe.ceterùm ſi,antequàm ad iudicem perueniretur, in mora heres fuit:exinde fructuum præſtandorum neceſſitate adſtrictus,qua tandem ratione,quoniam & ſententia victus eſt, legitimi temporis ſpatio fructibus liberabitur, cùm ea temporis intercapedo iudicato dilationem dare,non lucrum adferre debeat? 1 ¶ In his quoque iudiciis quæ non ſunt arbitraria,nec bonæ fidei,poſt litem conteſtatam actori cauſa præſtanda in eum diem, quo ſententia dicitur. certe poſt rem iudicatam tempus à fructibus dependendis immune eſt.

2 ¶ Nonnunquam euenit,vt quamquàm fructus hereditatis, aut pecuniæ,vſura nominatim relicta non ſit,nihilo minus debeatur:vtputa ſi quis rogetur,poſt mortem ſuam, quidquid ex bonis ſupererit,Titio reſtituere.vt enim ea,quæ,fide bona,deminuta ſunt,in cauſa fideicommiſſi non deprehenduntur, & pro modo ceterorum quoque bonorum deminuantur: ita,quod ex fructibus ſupererit,iure voluntatis reſtitui oportebit. 3 ¶ Cùm Pollidius à propinqua ſua heres inſtitutus,rogatus fuiſſet filiæ mulieris, quidquid ex bonis eius ad ſe perueniſſet,cùm certam ætatem puella compleſſet,reſtituere, idque ſibi mater ideo placuiſſe teſtamento comprehendiſſet,ne filiæ tutoribus, ſed potiùs neceſſitudini res committerentur, eundémque Pollidium fundum retinere iuſſiſſet:præfectis prætorij ſuaſi,fructus,qui bona fide à Pollidio ex bonis defunctæ percepti eſſent, reſtitui debere: ſiue quod fundum ei tantùm prælegauerat,ſiue quod lubrico tutelæ fideicommiſſi remedium mater prætulerat.

4 ¶ Si, auro,& argento facto, per fideicommiſſum relicto,mora interuenerit:an vſurarum æſtimatio facienda ſit, tractari ſolet. plane ſi materiam iſtam ideo reliquit,vt,ea diſtracta,pecuniaque refecta, fideicommiſſa ſoluerentur, aut alimenta præſtarentur: non oportere fruſtrationem impunitam eſſe; reſponderi oportet. quod ſi forte ideo relinquit,vt his vaſis vteretur: non ſine rubore deſiderabuntur vſuræ:ideoque non exigentur.

4. *Idem* libro 27. Quæſtionum.

SI ſtipulatus ſis, *Rem dari vacuamque poſſeſsionem tradi*:fructus poſtea captos,actione incerti ex ſtipulatu,propter inferiora verba, conſecuturum te, ratio ſuadet. an idem de partu ancillæ reſponderi poſsit,conſiderandum eſt. nam quod ad verba ſuperiora pertinet:ſiue factum rei promittendi, ſiue effectum per traditionem dominij transferendi continent: partus non continetur. verùm ſi emptor à venditore, nouandi animo, ita ſtipulatus eſt: factum tradendi ſtipulatus intellegitur. quia non eſt veriſimile, plus venditorem promiſiſſe, quàm iudicio empti præſtare compelleretur.ſed tamen propter illa verba, *Vacuamque poſſeſſionem tradi*,poteſt dici,partus quoque rationem committi incerti ſtipulatione.etenim, ancilla tradita, partum poſtea editum in bonis ſuis reus ſtipulandi habere potuiſſet. 1 ¶ Si poſt contractam emptionem,ante interpoſitam ſtipulationem, partus editus, aut aliquid per ſeruum venditori adquiſitum eſt: quod ex ſtipulatu conſequi non poterit, iudicio empti cõſequitur. id enim,quod non transfertur in cauſam nouationis, iure priſtino peti poteſt.

5. *Idem* libro 28. Quæſtionum.

GEneraliter obſeruari conuenit,bonæ fidei iudicium non recipere præſtationem, quæ contra bonos mores deſideretur.

6. *Idem* libro 29 Quæſtionum.

CVm de in rem verſo cum herede patris vel domini ageretur, & vſurarum quæſtio mo-

ueretur: Imperator Antoninus ideo ſoluendas vſuras iudicauit, quod eas ipſe dominus, vel pater longo tempore præſtitiſſet.

1 ¶ Imperator quoque noſter Seuerus filij Flauij Athenagoræ, cuius bona fuerant publicata, de fiſco ideo numerari decies centena dotis nomine iuſſit, quòd ea, patrem præſtitiſſe dotis vſuras, allegaſſet.

7. *Idem* libro 2. Reſponſorum.

DEbitor vſurarius creditori pecuniam optulit: & eam, cùm accipere noluiſſet, obſignauit, ac depoſuit. ex eo die ratio non habebitur vſurarum. quòd ſi poſtea conuentus, vt ſolueret, moram fecerit: nummi ſteriles ex eo tempore non erunt.

8. *Idem* libro 7. Reſponſorum.

EQuis per fideicommiſſum relictis, poſt moram fetus quoque præſtabitur vt fructus, ſed fetus ſecundus vt cauſa: ſicut partus mulieris.

9. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

PEcuniæ fænebris, intra diem certum debito non ſoluto, dupli ſtipulatum, in altero tanto ſupra modum legitimæ vſuræ reſpondi non tenere. quare pro modo cuiuſcunque temporis, ſuperfluo detracto, ſtipulatio vires habebit.

1 ¶ Vſurarum ſtipulatio, quamuis debitor non conueniatur, committitur. nec inutilis legitimæ vſuræ ſtipulatio videtur ſub ea condicione concepta, *Si minores ad diem ſolutæ non fuerint.* non enim pœna, ſed fænus vberius iuſta rationeſortis promittitur. Si tamen poſt mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia ſolueretur: eius temporis inculpatam eſſe moram, conſtitit. ideo, ſi maiores vſuræ prioribus petantur, exceptio doli non inutiliter opponetur.

10. *Paulus* libro 2. Quæſtionum.

PArtum poſt litem conteſtatam editum reſtituere poſſeſſor debet. quem non deberet reſtituere, ſi, cùm mater peteretur, iam natus fuiſſet: niſi ſpecialiter & pro hoc egiſſet.

11. *Idem* libro 25. Quæſtionum.

GAius Seius, qui rem publicam gerebat, fænerauit pecuniam publicam ſub vſuris ſolitis. fuit autem conſuetudo, vt intra certa tempora non inlatis vſuris, grauiores infligerentur. quidam debitores ceſſauerunt in ſoluendis vſuris: quidam plus intulerunt. & ſic effectum eſt, vt omne, quod vſurarum nomine competebat, etiam pro his, qui ceſſauerant in vſuris, ſuppleatur. quæſitum eſt, an illud, quod amplius ex conſuetudine pœnæ nomine à quibuſdam exactum eſt, ipſi Seio proficere deberet, an reipublicæ lucro cederet. reſpondi, ſi Gaius Seius à debitoribus vſuras ſtipulatus eſſet, eas ſolas reipublicæ præſtari oportere, quæ ſecundùm formam ab his exigi ſolent: etiam ſi omnia nomina idonea ſint.

1 ¶ Quid, ſi ſeruus publicus obligationem vſurarũ reipublicæ adquiſiit? æquum eſt, quamuis ipſo iure vſuræ reipublicæ debeantur, tamen pro defectis nominibus compenſationem maiorum vſurarum fieri, ſi non ſit parata reſpublica vniuerſorum debitorum fortunam ſuſcipere. Eadem ferè in tutoribus. Marcellus refert.

12. *Idem* libro 4. Reſponſorum.

SEia mutuam pecuniam accepit à Septicio: de vſuris ita conuenit: *Niſi ſua quoque die vſuræ ſupraſcript Exſoluerentur, vel poſt tertium menſem: tunc in maiores vſuras Seia teneretur, & deinceps per ſingulas penſiones, ſi condicione data vſuræ non ſoluerentur, ea condicio obſeruaretur, donec omnis ſumma debita hoc nomine exſolueretur.* quæro, an hæc verba *& deinceps per ſingulas penſiones condicione data vſuræ non ſoluantur, ea condicio obſeruaretur,* eò pertineant, vt quãuis commiſſa ſit fortè prima ſtipulatio, non tamen in ampliorem quantitatem vſurarum conueniri poſſit, quàm eius penſionis nomine, quę egreſſa eſt diem præſtitutum. Paulus reſpondit, plures condiciones continere eam ſtipulationem, quæ de grauioribus vſuris præſtandis ſubiecta eſt: id eſt, vt per ſingulas penſiones condicio inſpectaretur non illatarum ſuis temporibus leuiorum vſurarum. & ideo poſſe euitari pœnam ſequentium penſionum.

13. *Scæuola* libro 1. Reſponſorum.

QVi ſemiſſes vſuras promiſit, per multos annos minores præſtitit. heres creditoris ſemiſſes petit. cùm per debitorem non ſteterit, quo minus minor Soluat: quæro, an exceptio doli, vel pacti obſtet. reſpondi, ſi exſoluendis ex more vſuris per tanta tempora mora per debitorem non fuit, poſſe, ſecundùm ea, quæ proponerentur, obſtare exceptionem.

1 ¶ Quæſitum eſt, an iudicio negotiorum geſtorum, vel mandati pro pecunia otioſa vſuras præſtare debeat, cùm dominus nullam pecuniam fænerauit. reſpondit, ſi eam pecuniam poſitam habuiſſet, idque ex conſuetudine mandantis feciſſet, non debere quicquam vſurarum nomine præſtare.

14. *Paulus* libro 14. Reſponſorum.

REſpondit Paulus,

MOram in ſoluendo fidei commiſſo factam: partus quoque ancillarum reſtituendos.

1 ¶ Heres rogatus erat, poſt mortem ſuam ſine reditu hereditatem reſtituere. quæſitum eſt, an partus ancillarum etiam viuo herede nati, reſtituendi eſſent propter verba teſtamenti, quibus de reditu ſolo deducendo teſtator ſenſit. Paulus reſpondit, ante diem fideicommiſſi cedentem, partus ancillarum editos, fideicommiſſo non contineri, Neratius libro primo ita refert: eum, qui ſimiliter rogatus eſſet, vt mulierem reſtitueret, partum eius reſtituere cogendum nõ eſſe: niſi tunc editus eſſet, cùm in fideicommiſſo reſtituendo moram feciſſet. Neque intereſſe exiſtimo, an ancilla ſpecialiter, an hereditas in fideicõmiſſo ſit.

15. *Idem* libro ſextodecimo Reſponſorum reſpondit.

NEque eorum fructuum, qui poſt litem conteſtatam officio iudicis reſtituendi ſunt, vſuras præſtari oportere: neque eorum, qui priùs percepti, quaſi malæ fidei poſſeſſori, condicuntur.

16. *Idem* libro 1. Decretorum.

LIberalitatis in rempublicam factæ, vſuræ non exiguntur.

1 ¶ Cùm vſuræ pretij fundi ab eo, qui à fiſco emerat, peterentur, & emptor negaret traditam ſibi poſſeſſionem: Imperator decreuit, iniquum eſſe, vſuras ab eo exigi, qui fructus non percepiſſet.

17. *Idem* libro ſingulari de Vſuris.

CVm quidam cauiſſet, ſe quotannis quincunces vſuras præſtaturum, &, ſi quo anno non ſoluiſſet, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus eſt, ſemiſſes ſoluturum, & redditis per aliquot annos vſuris, mox ſtipulatio commiſſa eſſet: Diuus Marcus Fortunato ita reſcripſit: Præſidem prouinciæ adi: qui ſtipulationem, de cuius iniquitate queſtus es, ad modum iuſtæ exactionis rediget. Hæc conſtitutio ad finitum modum excedit. quid ergo? ſic temperanda res eſt, vt in futurũ dumtaxat ex die ceſſationis creſcat vſura.

1 ¶ Diuus Pius ita reſcripſit: Parum iuſtè præteritas vſuras petis: quas omiſiſſe te, longi temporis interuallum indicat: qui eas à debitore tuo, vt gratior apud eum videlicet eſſes, petendas non putaſti.

2 ¶ In tacito fideicommiſſo omne emolumentum heredi auferendum, & fiſco præſtandum, Diuus Pius reſcripſit. ergo & vſurarum emolumentum aufertur heredi. 3 ¶ Si pupillo non habenti tutorem, fideicommiſſum ſolui non potuit: non videri moram per heredem factam, Diuus Pius reſcripſit. ergo nec ei debetur, qui, quòd reipublicę cauſa afuit, vel ex alia cauſa iuſta impeditus,



ditus, ex qua reſtitutione indulgetur, petere non potuit. quid enim poteſt imputari ei, qui ſoluere, etiam ſi vellet, non potuit? nec ſimile videri poſſe, quod placuit, minoribus etiam in his ſuccurri, quæ non adquiſierunt. vſuræ enim non propter lucrum petentium, ſed propter moram ſoluentium infliguntur.

4 ¶ Ex locato qui conuenitur, niſi conuenerit, vt tardiùs pecuniæ illatæ vſuras deberet, non niſi ex mora vſuras præſtare debet.

5 ¶ Fiſcus ex ſuis contractibus vſuras non dat, ſed ipſe accipit: vt ſolet à forcariis, qui tardiùs pecuniam inſerunt: item ex vectigalibus. Cùm autem in loco priuati ſucceſſit, etiam dare ſolet.

6 ¶ Si debitores minores ſemiſſibus præſtabant vſuras, fiſci eſſe cœperunt, poſtquàm ad fiſcum trãſierunt, ſemiſſes cogendi ſunt præſtare.

7 ¶ Eos, qui ex adminiſtratione rerum ciuitatium conueniuntur, vſuris obnoxios eſſe, ſatis notum eſt. Idem obſeruatur in operum curatoribus, ſi pecunia apud eos remanſit. Sed in ea, quam redemptoribus commiſerunt, etiam ſi neglegenter dederint, vſura eis remittitur. hæc autem ita ſunt, ſi nulla fraus arguitur. alioquin etiam vſuræ adplicabuntur.

8 ¶ Si dies non ſit ab his, qui ſtatuas vel imagines ponendas legauerunt, præfinitus: à præſide tempus ſtatuendum eſt. & niſi poſuerint heredes, vſuras reipublicæ vſque ad tertiam centeſimæ pendent.

18. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

EVictis agris, ſi initio conuenit, vt venditor pretiũ reſtitueret, vſuræ quoque poſt euictionem præſtabuntur: quamuis emptor, poſt dominij litem inchoatam, fructus aduerſario reſtituit. nam incommodum medii temporis emptoris damnum eſt.

1 ¶ Poſt traditam poſſeſſionem defuncto venditore, cui ſucceſſor incertus fuit, medij quoque temporis vſuræ pretij, quod in cauſa depoſiti non fuit, præſtabuntur.

19. *Gaius* libro 6. ad Legem 12. tabularum.

VIdeamus, an in omnibus rebus petitis in fructus quoque condemnatur poſſeſſor. quid enim, ſi argẽtum, aut veſtimẽtum, aliámve ſimilem rem: quid præterea, ſi vſumfructum, aut nudam proprietatem, cùm alienus vſusfructus ſit, petierit? neque enim nudæ proprietatis, quod ad proprietatis nomen attinet, fructus vllus intellegi poteſt, neque vſusfructus rurſus fructus eleganter computabitur. quid igitur, ſi nuda proprietas petita ſit? ex quo perdiderit fructuarius vſumfructum, æſtimabuntur in petitione fructus. Item ſi vſusfructus petitus ſit: Proculus ait, in fructus perceptos condemnari. Præterea Gallus Ælius putat, ſi veſtimenta, aut ſcyphus, petita ſint, in fructu hæc numeranda eſſe: quod, locata ea re, mercedis nomine capi potuerit.

1 ¶ Iter quoque & actus ſi petitus ſit: vix eſt, vt fructus vlli poſſint æſtimari. niſi ſi quis commodũ in fructibus numeraret, quod habiturus eſſet petitor, ſi ſtatim eo tempore, quo petiſſet, ire agere non prohiberetur. quod admittendum eſt.

20. *Paulus* libro 12. ad Sabinum.

VSuras illicitas ſorti mixtas, ipſas tãtùm non deberi conſtat, ceterùm ſortem non vitiare.

21. *Vlpianus* libro 34. ad Edictum.

SCiendum eſt, non omne, quod, differendi cauſa, optima ratione fiat, moræ adnumerandum. quid enim, ſi amicos adhibendos debitor requirat, vel expediendi debiti, vel fideiuſſoribus rogandis, vel exceptio aliqua allegetur? mora facta non videtur.

22. *Paulus* libro 34. ad Edictum.

SI modo id ipſum non fraudandi cauſa ſimuletur.

23. *Vlpianus* libro 34. ad Edictum.

SEd & ſi reipublicę cauſa abeſſe ſubitò coactus ſit, vt defenſionem ſui mandare non poſſit: moram façere non videbitur: ſiue in vinculis, hoſtiúmve poteſtate eſſe cœperit.

1 ¶ Aliquando etiam in re moram eſſe decerni ſolet: ſi fortè non exſtat, qui conueniatur.

24. *Paulus* libro 37. ad Edictum.

SI quis ſolutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit: non videtur feciſſe moram. vtique ſi iuſtè ad iudicium prouocauit.

1 ¶ Cùm reus moram facit, & fideiuſſor tenetur.

2 ¶ Mora videtur creditori fieri: ſiue ipſi, ſiue ei, cui mandauerat, ſiue ei, qui negotia eius gerebat, mora facta ſit. nec hoc caſu per liberam perſonam adquiri videtur, ſed officium impleri. ſicuti cùm quis furtum mihi facientem deprehẽdit, negotium meum agens: manifeſti furti actionem mihi parat. item cùm procurator interpellauerit promiſſorem hominis, perpetuam facit ſtipulationem.

25. *Iulianus* libro 7. Digeſtorum.

QVi ſcit, fundum ſibi cum alio cõmunem eſſe: fructus, quos ex eo perceperit, inuito, vel ignorante ſocio, non maiore ex parte ſuos facit, quàm ex qua dominus prædij eſt. nec refert, ipſe, an ſocius, an vterque eos ſeuerit: quia omnis fructus, non iure ſeminis, ſed iure ſoli percipitur. & quemadmodum ſi totum fundum alienum quiSciens poſſideat, nulla ex parte fructus ſuos faciet, quoquo modo ſati fuerint: ita qui communem fundum poſſidet, non faciet ſuos fructus pro ea parte, qua fundus ad ſocium eius pertinebit.

1 ¶ In alieno fundo, quem Titius bona fide mercatus fuerat, frumentum ſeui, an Titius bonæ fidei emptor perceptos fructus ſuos faciat? reſpõdi: Quod (ad) fructus, qui ex fundo percipiuntur: intellegi debet propiùs ea accidere, quæ ſerui operis ſuis adquirunt. quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quàm ſeminis, ex quo oriũtur, aſpicitur. & ideo nemo vnquam dubitaBit, quin, ſi in meo fundo frumentum tuum ſeuerim, ſegetes, & quod ex meſſibus collectum fuerit, meum fieret. porro bonę fidei poſſeſſor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum eſt. præterea, cùm ad fructuarium pertineant fructus à quolibet ſati, quanto magis hoc in bonæ fidei poſſeſſoribus recipiendum eſt, qui plus iuris in percipiendis fructibus habent cùm fructuarij quidẽ non fiant, antequàm ab eo percipiuntur: ad bonæ fidei autem poſſeſſorem pertineant, quoquo modo à ſolo ſeparati fuerint, ſicut eius, qui vectigalem fundum habet, fructus fiunt, ſimul atque ſolo ſeparati ſunt.

2 ¶ Bonæ fidei emptor ſeuit, &, antequàm fructus perciperet, cognouit fundum alienum eſſe. an perceptione fructus ſuos faciat, quæritur. reſpondi: Bonæ fidei emptor, quod ad percipiendos fructus, intellegi debet, quamdiu euictus fundus non fuerit. nam & ſeruus alienus, quem bona fide emero, tamdiu mihi ex re mea, vel ex operis ſuis adquiret, quãdiu à me euictus non fuerit.

26. *Idem* libro 6. ex Minicio.

VEnationem, fructus fundi negauit eſſe: niſi fructus fundi ex venatione conſtet.

27. *Africanus* libro 8. Quæſtionum.

CVm patriſfamilias mora facta ſit, iam in herede eius non quæritur mora. nam tunc heredi proximo, hereditario iure, ea competet. ideóque ad ceteros quoque deinceps tranſmittitur.

28. *Gaius* libro 2. Rerum coTidianarum ſiue aureorum.

IN pecudum fructu etiam fetus eſt, ſicut lac, & pilus, & lana. itaque agni, & hœdi, & vituli ſtatim pleno iure ſunt bonæ fidei poſſeſſoris, & fructuarij. 1 ¶ Partus verò, ancillæ in fructu non

eſt. itaque ad dominum proprietatis pertinet. abſurdum enim videbatur, hominem in fructu eſſe: cùm omnes fructus rerum, natura, hominum gratia, comparauerit.

29. *Marcianus* libro 14. Inſtitutionum.

PLacuit, ſiue ſupra ſtatutum modum quis vſuras ſtipulatus fuerit, ſiue vſurarum vſuras: quod illicite adiectum eſt, pro non adiecto haberi: & licitas peti poſſe.

30. *Paulus* libro ſingulari Regularum.

ETiam ex nudo pacto debentur ciuitatibus vſuræ creditarum ab eis pecuniarum.

31. *Vlpianus* libro 1. Reſponſorum.

QVod in ſtipulatione ſic adiectum eſt, *Et vſuras, ſi quæ competierint*: nullius eſſe momenti, ſi modus certus non adiciatur.

32. *Marcianus* libro 4. Regularum.

MOra fieri intellegitur non ex re: ſed ex perſona, id eſt, ſi interpellatus oportuno loco, non ſoluerit, quod apud iudicem examinabitur. nam (vt & Pomponius libro duodecimo epiſtularum ſcripſit) difficilis eſt huius rei definitio. Diuus quoque Pius Tullio Balbo reſcripſit, an mora facta intellegatur, neque conſtitutione vlla, neque iuris auctorum quæſtione decidi poſſe: cùm ſit magis facti, quàm iuris.

1 ¶ Et non ſufficit ad probationem moræ, ſi ſeruo, debitoris abſentis denuntiatum eſt a creditore, procuratoréve eius: cùm etiam ſi ipſi (inquit) domino denuntiatum eſt: ceterùm poſtea, cùm is ſui poteſtatem faceret, omiſſa eſſet repetendi debiti inſtantia: non protinus per debitorem mora facta intellegitur. 2 ¶ In bonæ fidei contractibus ex mora vſuræ debentur. 3 ¶ Quid ergo, ſi & filiusfamilias, & pater ex perſona eius teneatur, ſiue iuſſu eius contractum eſt, ſiue in rem verſum eſt patris, vel in peculium: cuius perſona circa moram ſpectaVitur? & ſi quidem pater duntaxat conuenietur ex mora ſua, non tenetur. in filium tamen dabitur actio in hoc, vt, quod minùs à patre actor conſecutus eſt, filius præſtet. quòd ſi filius moram fecerit, tunc actor vel cum ipſo in ſolidum, vel cum patre dumtaxat de peculio habebit.

4 ¶ Sed ſi duo rei promittendi ſint, alterius mora alteri non nocet.

5 ¶ Item ſi fideiuſſor ſolus moram fecerit, non tenetur: ſicuti ſi Stichum promiſſum occiderit. ſed vtilis actio in hunc dabitur.

33. *Vlpianus* libro ſingulari de Officio curatoris reipublicæ.

SI bene collocatæ ſunt pecuniæ publicæ, in ſortem inquietari debitores non debent: & maximè ſi parient vſuras. ſi non parient, proſpicere reipublicæ ſecuritati debet præſes prouinciæ: dūmodo non acerbum ſe exactorem, nec contumelioſum præbeat: ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum. nam inter inſolentiam incurioſam, & diligentiam non ambitioſam multum intereſt.

1 ¶ Præterea proſpicere debet, ne pecuniæ publicæ credantur ſine pignoribus idoneis, vel hypothecis.

34. *Idem* libro 15. ad Edictum.

VSuræ, vicem fructuum optinent: & merito non debent à fructibus ſeparari. & ita in legatis, & fideicommiſſis, & in tutelæ actione, & in ceteris iudiciis bonæ fidei ſeruatur. hoc idem igitur in ceteris obuentionibus dicemus.

35. *Paulus* libro 57. ad Edictum.

LIte conteſtata, vſuræ currunt.

36. *Vlpianus* libro 61. ad Edictum.

PRædiorum vrbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur.

37. *Idem* libro 10. ad Edictum.

ET in contraria negotiorum geſtorum actione vſuræ veniunt, ſi mutuatus ſum pecuniam, vt creditorem tuum abſoluam: qui aut in poſſeſſionem mittendus erat bonorum tuorum, aut pignor[illegible]

venditurus. quid, ſi domi habens, propter eandem cauſam ſolui? puto verum, ſi liberaui ex magno incommodo, debere dici vſuras venire: eas autem, quæ in regione frequentantur, vt eſt in bonæ fidei iudiciis conſtitutum. ſed ſi mutuatus dedi: hæ venient vſuræ, quas ipſe pendo. vtique ſi plus tibi præſtarim commodi, quàm vſuræ illæ colligunt.

38. *Paulus* libro 6. ad Plautium.

VIdeamus generali, quando in actione quæ eſt in perſonam, etiam fructus veniant.

1 ¶ Et quidem ſi fundus ob rem datus ſit, veluti dotis cauſa, & renuntiata adfinitas: fructus quoque reſtituendi ſunt. vtique hi, qui percepti ſunt eo tempore, quo ſperabatur adfinitas. ſed & poſteriores, ſi in re mora fuit, vt ab illo, qui reddere debeat; omnimodo reſtituendi ſunt. Sed & ſi per mulierem ſtetit, quo minùs nuptiæ contrahantur: magis eſt; vt debeat fructus recipere. ratio autem hæc eſt, quod, ſi ſponſus non conueniebatur reſtituere fructus, licuerat ei neglegere fundum.

2 ¶ Item ſi indebitum fundum ſolui, & repeto: fructus quoque repetere debeo.

3 ¶ Idémque eſt, ſi mortis cauſa fundus ſit donatus, & reualuerit, qui donauit, atque ita condictio naſcatur. 4 ¶ In Fauiana quoque actione, & Pauliana, per quam, quæ in fraudem creditorum alienata ſunt, reuocantur, fructus quoque reſtituūtur. nam prætor id agit, vt perinde ſint omnia, atque ſi nihil alienatum eſſet. quod non eſt iniquum. nam & verbum *Reſtituas*, quod in hac re prætor dixit, plenam habet ſignificationem, vt fructus quoque reſtituantur.

5 ¶ Et ideo cùm reſtitui prætor vult, veluti in interdicto *Vnde vi*: etiam fructus ſunt reſtituendi.

6 ¶ Item ſi vi, metuſve cauſa rem tradam: non aliter mihi reſtituiſſe videtur, quàm ſi fructus mihi reſtituat. nec mora mea mihi aliquid aufert.

7 ¶ Si actionem habeam ad id conſequendum, quod meum non fuit. veluti ex ſtipulatu: fructus non conſequar, etiam ſi mora facta ſit. quòd ſi acceptum eſt iudicium: tunc Sabinus, & Caſſius, ex æquitate, fructus quoque poſt acceptum iudicium præſtandos, putant, vt cauſa reſtituatur. quod puto recte dici.

8 ¶ Ex cauſa etiam emptionis, fructus reſtituendi ſunt. ¶ 9 Sed in ſocietatibus fructus communicandi ſunt. 10 ¶ Si poſſeſſionem naturalem reuocem, proprietas mea manet. videamus de fructibus. & quidem in depoſito, & commodato fructus quoque præſtandi ſunt, ſicut diximus.

11 ¶ In interdicto quoque *Quod vi aut clam*, magis eſt, vt omnis cauſa, & fructus reſtituantur.

12 ¶ Ante matrimonium quoque fructus percepti, dotis fiunt, & cum ea reſtituuntur.

13 ¶ Eadem ratio eſt in fructibus prædiorum vrbanorum. 14 ¶ Item ſi diuidere fundum tecum velim, tu nolis, & colam: an fructus diuidi debeant poſt deductionem impenſarum: & puto diuidendos.

15 ¶ In ceteris quoque bonæ fidei iudiciis fructus omnimodo præſtantur.

16 ¶ Si dos prælegata fuerit: ante nuptias percepti fructus in cauſa legati veniunt.

39. *Modeſtinus* libro 9. Differentiarum.

EQuis per fideicommiſſum legatis, poſt moram heredis, fetus quoque debentur. Equitio autem legato, etiam ſi mora non intercedat, incremento gregis fetus accedunt.

40. *Idem* libro 4. Regularum.

IN eum diem, quo creditor pignora diſtraxit, recte vſuræ fiet reputatio.

41. *Idem* libro 3. Reſponſorum.

TVtor condemnatus, per appellationem traxerat executionem ſententiæ. Herennius Modeſtinus reſpondit, eum, qui de appellatione cognouit, potuiſſe, ſi fruſtratoriam, morandi cauſa, appellationem interpoſitam animaduerteret, etiam de vſuris medij temporis eum condemnare.

1 ¶ Lucius



1 ¶ Lucius Titius, cùm centum, & vſuras aliquanti temporis deberet, minorem pecuniam, quam debebat, obſignauit. quæro, an Titius pecuniæ, quam obſignauit, vſuras præſtare non debeat. Modeſtinus reſpondit, ſi non hac lege mutua pecunia data eſt, vti liceret & particulam, quod acceptum eſt, exſoluere; non retardari totius debiti vſurarum præſtationem; ſi, cùm creditor paratus eſſet totum ſuſcipere, debitor, qui in exſolutione totius ceſſabat, ſolam partem depoſuit.

2 ¶ Ab Aulo Agerio Gaius Seius mutuam quandam quātitatem accepit hoc chirographo: *Ille ſcripſi, me accepiſſe, & accepi ab illo mutuos & numeratos decem: quos ei reddam Kalendis illis proximis cum ſuis vſuris placitis inter nos.* quæro, an ex eo inſtrumento vſuræ peti poſsint, & quæ. Modeſtinus reſpondit, ſi non appareat, de quibus vſuris conuentio facta ſit, peti eas non poſſe.

42. *Idem* libro 11. Reſponſorum.

HErennius Modeſtinus reſpōdit, fructus, qui poſt adquiſitum ex cauſa fideicommiſsi dominium ex terra percipiuntur, ad fideicommiſſarium pertinere: licèt maior pars anni ante diem fideicommiſsi cedentem præteriiſſe dicatur.

43. *Idem* libro 18. Reſponſorum.

HErennius Modeſtinus reſpondit; eius temporis, quod ceſſit, poſtquàm fiſcus debitum percepit; eum, qui mandatis à fiſco actionibus experitur; vſuras, quæ in ſtipulatū deductæ non ſunt, petere poſſe.

44. *Idem* libro 10. Pandectarum.

POenam pro vſuris ſtipulari nemo ſupra modum vſurarum licitum poteſt.

45. *Pomponius* libro 22. ad Quintum Mucium.

FRuctos percipiendo vxor vel vir ex re donata, ſuos facit. illos tamen, quos ſuis operis adquiſierit: veluti ſerendo. nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilua cædit: non fit eius, ſicuti nec cuiuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris: quia non ex facto eius is fructus naſcitur.

46. *Vlpianus* libro 62. ad Edictum.

QVod in fructus redigendos impenſum eſt, non ambigitur ipſos fructus, deminuere debere.

47. *Scæuola* libro 9. Digeſtorum reſpondit.

PAratum iudicium accipere, ſi ab aduerſario ceſſatum eſt, moram facere non videri.

48. *Idem* libro 22. Digeſtorum.

MAritus vxori ſuę vſumfructum tertię partis: &, cùm liberos habuiſſet, proprietatem legauit, eā vxorem heredes falſi teſtamenti, & aliorum criminum accuſauerunt: qua re impedita eſt legatorum petitio. interea & filius ei mulieri natus eſt: eóque condicio legati exſtitit: quæſitum eſt, cùm teſtamentum falſum non eſſe apparuerit, an fructus etiam mulieri præſtari debeant. reſpondit, præſtando.

49. *Iauolenus* libro 3. ex poſterioribus Labeonis.

FRuctus rei eſt, vel pignori dare licere.

## DE NAVTICO FÆNORE, TIT. II.

*Modeſtinus* libro 10. Pandectarum.

TRaiecticia ea pecunia eſt, quæ trans mare vehitur. ceterùm, ſi eodem loci conſumatur, non erit traiecticia. Sed videndum, an merces ex ea pecunia comparatæ, in ea cauſa habentur. & intereſt, vtrùm etiam ipſæ periculo creditoris nauigent. tunc enim traiecticia pecunia fit.

2. *Pomponius* libro 3. ex Plautio.

LAbeo ait, ſi nemo ſit, qui à parte promiſſoris interpellari traiecticiæ pecuniæ poſsit; idipſum teſtatione complecti debere, vt pro petitione id cedeſet.

3. *Modeſtinus* libro 4. Regularum.

IN nautica pecunia ex ea die periculum ſpectat creditorem, ex quo nauem nauigare conueniat.

4. *Papinianus* libro 3. Reſponſorum.

NIhil intereſt, traiecticia pecunia ſine periculo creditoris accepta ſit: an, poſt diem præſtitutum, & condicionem impletam, periculum eſſe creditoris deſierit. vtrubique igitur maius legitima vſura fænus non debebitur. ſed in priore quidem ſpecie ſemper: in altera verò, diſcuſſo periculo, nec pignora, vel hypothecæ, titulo maioris vſuræ, tenebuntur.

1 ¶ Pro operis ſerui traiecticiæ pecuniæ gratia ſecuti, quod in ſingulos dies in ſtipulatum deductum eſt, ad finem centeſimæ, non vltra duplum debetur. In ſtipulatione fænoris poſt diem periculi ſeparatim interpoſita, quod in ea legitimæ vſuræ deerit, per alteram ſtipulationem operarum ſuppleVitur.

5. *Scæuola* libro 6. Reſponſorum.

PEriculi pretium eſt, & ſi, condicione quamuis pœnali non exſiſtente, recepturus ſis, quod dederis, & inſuper aliquid præter pecuniam: ſi modò in aleæ ſpeciem non cadat. veluti ea, ex quibus condiciones naſci ſolent, vt *Si manumittas, ſi non illud facias, ſi non conualuero*, & cetera. nec dubitabis: ſi piſcatori erogaturo in apparatum, plurimum pecuniæ dederim, vt, ſi cepiſſet, redderet: & athletæ, vnde ſe exhiberet exercerétque, vt, ſi viciſſet, redderet.

1 ¶ In his autem omnibus & pactum ſine ſtipulatione ad augendam obligationem prodeſt.

6. *Paulus* libro 25. Quæſtionum.

FÆnerator, pecuniam vſuris maritimis mutuam dando, quaſdam merces in naue pignori accepit. ex quibus ſi non potuiſſet totum debitum exſolui, aliarum mercium aliis nauibus impoſitarum, propriiſque fæneratoribus obligatarum, ſi quid ſuperfuiſſet, pignori accepit. quæſitum eſt, naue propria perempta, ex qua totum ſolui potuit, an id damnū ad creditorem pertineat, intra præſtitutos dies amiſſa naue, an ad ceterarum nauium ſuperfluum admitti poſsit. reſpondi: Aliàs, quidem pignoris deminutio ad damnum debitoris, non etiam ad creditoris pertinet. ſed cùm traiecticia pecunia ita datur, vt non aliàs petitio eius creditori competat, quàm ſi ſalua nauis intra ſtatuta tempora peruenerit: ipſius crediti obligatio, non exſiſtente condicione, defeciſſe videtur. & ideo pignorum quoque perſecutio perempta eſt: etiam eorum, quę non ſunt amiſſa. ſi nauis intra prę̨ſtitutos dies periſſet: & condicionem ſtipulationis defuiſſe videri. ideóque ſine cauſa de pignorum perſecutione, quæ in aliis nauibus fuerunt, quæri. quando ergo ad illorum pignorum perſecutionem creditor admitti potuerit? ſcilicet tunc, cùm condicio exſtiterit obligationis; & alio caſu pignus amiſſum fuerit, vel vilius diſtractum: vel ſi nauis poſtea perierit, quàm dies præfinitus periculo, exactus fuerit.

7. *Idem* libro 3. ad Edictum.

IN quibuſdam contractibus etiam vſuræ debentur, quemadmodum per ſtipulationem. Nam ſi dedero decem traiecticia, vt, ſalua naue, ſortem cum certis vſuris recipiam: dicendum eſt, poſſe me ſortem cum vſuris recipere.

8. *Vlpianus* libro 77. ad Edictum.

SEruius ait, pecuniæ traiecticiæ pœnam peti non poſſe, ſi per creditorem ſtetiſſet, quo minùs eam intra certum tempus præſtitutum accipiat.

9. *Labeo* libro 5. Pithanon à Paulo Epitomatorum.

SI traiecticiæ pecuniæ pœna, vti ſolet, promiſſa eſt: quamuis eo die, qui primus ſoluendæ pecuniæ fuerit, nemo vix erit, qui eam pecuniam deberet: tamen perinde committi pœna poteſt, ac ſi fuiſſet heres debitoris.

## DE PROBATIONIBVS, & præſumptionibus,

### TIT. III.

*Papinianus* libro 3. Quæſtionum.

QVotiens quæreretur, genus vel gentem quis haberet, néc ne; eum probare oportet.

2. *Paulus* libro 69. ad Edictum.

EI incumbit probatio, qui dicit: non qui negat.

3. *Papinianus* libro 9. Reſponſorum.

CVm tacitum fideicommiſſum ab eo datur, qui tàm in primo, quàm in ſecundo teſtamento, pro eadem parte; vel poſtea pro maiore, heres ſcribitur: probatio mutatæ voluntatis ei debet incumbere, qui conuenitur. cùm ſecreti ſuſcepti ratio plerumq; dominis rerum perſuadeat, eos ita hæredes ſcribere, quorum fidem elegerunt.

4. *Paulus* libro 6. Reſponſorum reſpondit.

EMptorem probare debere, eum ſeruum, de quo quæritur, antequàm emeret, fugiſſe.

5. *Idem* libro 9. Reſponſorum.

AB ea parte; quę dicit, aduerſarium ſuum ab aliquo iure prohibitum eſſe ſpecialiter lege, vel conſtitutione; id probari oportere. 1 ¶ Idem reſpondit, ſi quis negat emancipationem rectè factam, probationem ipſum præſtare debere.

6. *Scæuola* libro 2. Reſponſorum.

PAtronum manifeſtè docere debere, libertum in fraudem ſuam aliquid dediſſe, vt partem eius; quod in fraudem datum eſſet, poſſet auocare.

7. *Paulus* libro 2. Sententiarum.

CVm probatio prioris fugę deficit, ſerui queſtioni credendum eſt. in ſe enim interrogari, non pro domino, aut in dominum videtur.

8. *Idem* libro 18. ad Plautium.

SI filius in poteſtate patris eſſe neget: prætor cognoſcit, vt prior doceat filius. quia & pro pietate, quam patri debet præſtare, hoc ſtatuendum eſt. & quia ſe liberum eſſe quodammodo contendit. ideo enim, & qui ad libertatem proclamat, prior docere iubetur.

9. *Celſus* libro 1. Digeſtorum.

SI pactum factum ſit, in quo hæredis mentio non fiat: quæritur, an id actum ſit, vt ipſius dumtaxat perſona eo ſtatueretur. Sed quamuis verũ eſt, quòd, qui excipit, probare debeat, quod excipitur: attamen de ipſo dumtaxat, ac non de hærede eius quoq; conueniſſe, petitor, non qui excipit, probare debet. quia plerumq; tam hæredibus noſtris, quàm nobiſmetipſis cauemus.

10. *Marcellus* libro 3. Digeſtorum.

CEnſus & monumenta publica, potiora teſtibus eſſe, ſenatus cenſuit.

11. *Celſus* libro 11. Digeſtorum.

NOn eſt neceſſe pupillo probare, fideiuſſores pro tutore datos, cùm accipiebantur, idoneos non fuiſſe. nam probatio exigenda eſt ab his, quorum officij fuit prouidere, vt pupillo caueretur.

12. *Idem* libro 17. Digeſtorum.

QVingenta teſtamento tibi legata ſunt: item ſcriptum eſt in codicillis poſtea ſcriptis. refert, duplicare legatum voluerit, an repetere: & oblitus, ſe in teſtamento legaſſe, id fecerit. ab vtro ergo probatio eius rei exigenda eſt? prima fronte æquius videtur, vt petitor probet, quod intendit. ſed nimirum probationes quædam à reo exiguntur. nam ſi creditum petam; ille reſpondeat, ſolutam eſſe pecuniam; ipſe hoc probare cogendus eſt. & hic igitur, cùm petitor duas ſcripturas oſtendit, hæres poſteriorem inanem eſſe, ipſe hæres id adprobare iudici debet.

13. *Idem* libro 30. Digeſtorum.

CVm de ætate hominis quæreretur, Cæſar noſter in hæc verba reſcripſit: Et durum & iniquum eſt, cùm de ſtatu ætatis alicuius quæreretur, & diuerſæ profeſsiones proferuntur, ea potiſsimum ſtare, quæ nocet. ſed, cauſa cognita, veritatem excuti oportet: & ex eo potiſsimum annos computari; ex quo præcipuam fidem in ea re conſtare, credibilius videtur.

14. *Vlpianus* libro 2. de Officio Conſulis.

CIrca eum, qui ſe ex libertinitate ingenuum dicat, referendum eſt, quis actoris, partibus fungatur. & ſi quidem in poſſeſsionē libertinitatis fuit: ſine dubio ipſum oportebit ingenuitatis cauſam agere; docereq; ſe ingenuum eſſe. ſin verò in poſſeſsione ingenuitatis ſit, & libertinus eſſe dicatur: (ſcilicet eius, qui ei controuerſiam mouet) hoc probare debet qui eum dicit libertum ſuum. quid enim intereſt, ſeruum ſuum quis, an libertum contendat? Si quis autem fiducia ingenuitatis ſuæ vltrò in ſe ſuſcipiat probationes, ad hoc vt ſententiam ferat pro ingenuitate facientem: (hoc eſt, ingenuum ſe eſſe vt pronuntietur) an obtemperare ei debeat, tractari poteſt. & non ab re eſſe opinor, morem ei geri probandi ſe ingenuum, & ſententiam ſecundùm ſe dandam: cùm nulla captio intercedat iuris.

15. *Modeſtinus* libro 12. Reſponſorum.

QVidam quaſi ex Seia ſuſceptus à Gaio Seio, cùm Gaius fratres haberet, hæreditatem Gaij inuaſit: & fratribus eiuſdem, quaſi ex mandatu defuncti, fideicommiſſa ſoluit: cautionem accepit. qui poſtea, cognito quòd filius fratris eorum non fuiſſet, quærebant, an cum eo de hæreditate fratris poſsint, propter emiſſam manum ab eis quaſi filio, agere Modeſtinus reſpondit, cautione, exſoluti fideicommiſsi ſtatum eius, qui probari poteſt a fratribus defuncti filius mortui non eſſe, minimè confirmatum eſſe. ſed hoc ipſum à fratribus probari debet.

16. *Terentius Clemens* libro 3. ad Legem Iuliam & Papiam.

ETiam matris profeſsio filiorum recipitur. ſed & aui recipienda eſt.

17. *Celſus* libro 6. Digeſtorum.

CVm de lege Falcidia quęritur: hęredis probatio eſt, locum habere legem Falcidiam. quod dum probare non poteſt, meritò condemnatur.

18. *Vlpianus* libro 6. Diſputationum.

QVotiens operæ quaſi à liberto petuntur: probationes ab eo, qui ſe patronum dicit, exiguntur. & ideo Iulianus ſcripſit: licèt in præiudicio poſſeſſor patronus eſſe videtur; verùm partibus actoris non libertum fungi debere; ſed eum, qui ſe patronum eſſe contendit. 1 ¶ Qui dolo dicit factum aliquid, licèt in exceptione, docere dolum admiſſum debet. 2 ¶ Interrogationis factæ probationem actori imponi debere: id eſt ei, qui in iure interrogatum dixit, reſpondiſſe, ſe ſolum hæredem eſſe: vel, ſi tacuiſſe dicatur interrogatus, ęque tantundem erit dicendum, impoſitam probationem non ei, qui excepit ſe non reſpondiſſe, ſed actori.

19. *Idem* libro 7. Diſputationum.

IN exceptionibus dicendum eſt, reum partibus actoris fungi oportere: ipſumq; exceptionem, velut intentionem, implere. vtputa ſi pacti conuenti exceptione vtatur: docere debet, pactum conuentum factum eſſe. 1 ¶ Cùm quis promiſiſſet iudicio ſe ſiſti; & reipublicæ cauſa afuiſſe dicat, & ob id non ſtetiſſe; vel dolo malo aduerſarij factum, quo minùs ſiſteretur; vel valetudinem ſibi impedimento fuiſſe, vel tempeſtatem: probare eum id, oportet. 2 ¶ Sed & ſi procuratoria quis exceptione vtatur, eo quòd non licuiſſet aduerſario dare, vel fieri procuratorē: probare id oportet obiicientem exceptionem. 3 ¶ Idem erit dicendum, & ſi ea pecunia petatur, quæ penſata dicitur. 4 ¶ Hoc ampliùs: ſi iudicatæ rei, vel iuriſiurandi condicio delata dicatur



de eo, quod nunc petitur; ſiue in alea geſtum eſſe contendatur; eum implere probationes, oportet.

20. *Iulianus* libro 43. Digeſtorum.

SI quis liberum hominem vi rapuerit, in vinculis habuerit: is indigniſsimè commodum poſſeſſoris conſequeretur: quia probari non poterit, hominem eo tempore, quo primùm lis ordinaretur, in libertate fuiſſe.

21. *Marcianus* libro 6. Inſtitutionum.

VErius eſſe exiſtimo, ipſum, qui agit, id eſt, legatarium, probare oportere, ſciſſe alienam rē vel obligatam legare defunctum: non hęredem probare oportere, ignoraſſe alienam vel obligatam. quia ſemper neceſsitas probandi incumbit illi, qui agit.

22. *Vlpianus* libro 1. Reſponſorum.

EVm, qui voluntatem mutatam dicit, probare hoc debere.

23. *Marcianus* libro ſingulari ad formulam hypothecariam.

ANte omnia probandum eſt, quòd inter agentem & debitorem conuenit, vt pignori hypothecęve ſit. ſed & ſi hoc probet actor: illud quoque implere debet, rem pertinere ad debitorem eo tempore, quo conuenit de pignore, aut cuius voluntate hypotheca data ſit.

24. *Modeſtinus* libro 4. Regularum.

SI chirographum cancellatum fuerit; licèt præſumptione debitor liberatus eſſe videtur; in eam tamen quantitatem quam manifeſtis probationibus creditor ſibi adhuc deberi oſtenderit, rectè debitor conuenitur.

25. *Paulus* libro 3. Queſtionum.

CVm de indebito quæritur, quis probare debet non fuiſſe debitum? res ita temperanda eſt. vt ſi quidem is, qui accepiſſe dicitur rem vel pecuniã indebitam, hoc negauerit; & ipſe, qui dedit, legitimis probationibus ſolutionem adprobauerit: ſine vlla diſtinctione ipſum, qui negauit ſeſe pecuniam accepiſſe, ſi vult audiri, compellendum eſſe ad probationes præſtandas, quod pecuniam debitam accepit. per etenim abſurdum eſt, eum, qui ab initio negauit pecuniam ſuſcepiſſe, poſtquàm fuerit conuictus eam accepiſſe, probationem non debiti ab aduerſario exigere. Sin vero ab initio confiteatur quidem ſuſcepiſſe pecunias; dicat autem, non indebitas ei fuiſſe ſolutas: præſumptionem videlicet pro eo eſſe, qui accepit, nemo dubitat. qui enim ſoluit, numquam ita reſupinus eſt, vt facilè ſuas pecunias iactet, & indebitas effundat. & maximè ſi ipſe, qui indebitas dediſſe dicit, homo diligens eſt, & ſtudioſus paterfamilias: cuius perſonam incredibile eſt in aliquo facilè erraſſe. & ideo eum, qui dicit indebitas ſoluiſſe, compelli ad probationes, quod per dolum accipientis, vel aliquam iuſtam ignorantiæ cauſam indebitum ab eo ſolutum. &, niſi hoc oſtenderit, nullam eum repetitionem habere. 1 ¶ Sin autem is; qui indebitum queritur; vel pupillus; vel minor ſit; vel mulier; vel forte vir quidem perfectæ ætatis, ſed miles, vel agricultor, & forenſium rerum expers, vel aliàs ſimplicitate gaudens, & deſidię deditus: tunc eum, qui accepit pecunias, oſtendere, benè eas accepiſſe, & debitas ei fuiſſe ſolutas. & ſi non oſtenderit, eas redhibere. 2 ¶ Sed hæc ita, ſi totam ſummam indebitã fuiſſe ſolutam is, qui dedit, contendat. Sin autem pro parte queritur; quòd pars pecuniæ ſolutæ debita nõ eſt: vel quod ab initio quidem debitum fuit; ſed vel diſſoluto debito, poſtea ignarus iterum ſoluit: vel exceptione tutus, errore eius, pecunias dependit: ipſum omnimodo hoc oſtendere, quòd vel plus debito perſoluit, vel iam ſolutam pecuniam per errorem iterato ſoluit, vel tutus exceptione ſuã exceptionis proiecit pecuniam: ſecundùm generalem regulam, qua eos, qui opponendas eſſe exceptiones adfirmant, vel ſoluiſſe debita contendunt, hæc oſtendere exigit. 3 ¶ In omnibus autem viſionibus, quas præpoſuimus, licentia concedenda eſt ei, cui onus probationis incumbit, aduerſario ſuo de rei veritate iuſiurandum inferre, priùs ipſo pro calumnia iurante. vt iudex iuramenti fidem ſecutus, ita ſuam ſententiam poſsit formare, iure referendæ religionis ei ſeruando. 4 ¶ Sed hæc, vbi de ſolutione indebiti quæſtio eſt. Sin autem cautio indebitè expoſita eſſe dicatur, & indiſcretè loquitur: tunc eum, in quē cautio expoſita eſt, compelli debitum eſſe oſtendere, quod in cautionem deduxit. niſi ipſe ſpecialiter, qui cautionem expoſuit, cauſas explanauit, pro quibus eandem conſcripſit, tunc enim ſtare eum oportet ſuę confeſsioni: niſi euidentiſsimis probationibus in ſcriptis habitis, oſtendere paratus ſit, ſeſe hæc indebitè promiſiſſe.

26. *Papinianus* libro 20. Quæſtionum.

PRocula magnæ quãtitatis fideicommiſſum à fratre ſibi debitum, poſt mortem eius, in ratione cũ hæredibus compenſare vellet, ex diuerſo autem allegaretur, numquàm id à fratre, quamdiu vixit, deſideratum, cùm variis ex cauſis ſæpe (in) rationem fratris pecunias ratio Proculę ſoluiſſet. Diuus Commodus, cùm ſuper eo negotio cognoſceret, non admiſit cõpenſationem: quaſi tacitè fratri fideicommiſſum fuiſſet remiſſum.

27. *Scæuola* libro 33. Digeſtorum.

QVi teſtamentum faciebat, ei, qui vſq; ad certum modum capere poterat, legauit licitam quantitatem: deinde ita locutus eſt: *Titio centum do lego, quæ mihi pertulit. Quæ ideo ei non caui, quòd omnem fortunam & ſubſtantiam, ſi quam à matre ſuſceperat, in ſinu meo habui ſine vlla cautione. item eidem Titio reddi & ſolui volo de ſubſtantia mea centum quinquaginta: quæ ego ex reditibus prædiorum eius, quorum ipſe fructum percepi, & diſtraxi: item de calendario, ſi quæ à matre receperat Titius, in rem meam conuerti.* quæro, an Titius ea exigere poteſt. reſpondit, ſi Titius ſuprà ſcripta ex ratione ſua ad teſtatorem perueniſſe probare potuerit, exigi. videtur enim, eo quòd ille plus capere non poterat, in fraudem legis hæc in teſtamento adieciſſe.

28. *Labeo* libro 7. Pithanon à Paulo Epitomatorum.

SI arbiter animaduertere debeat, an operis facti memoria exſtet: hoc ei quærendum eſt, an aliquis meminerit, id opus factum eſſe. *Paulus*: Immò cùm in arbitrio quæritur, memoria facti operis exſtet, néc ne: non hoc quæritur, num aliquis meminerit, quo die, aut quo conſule factum ſit. ſed num hoc aliquo modo probari poſsit, quando id opus factum ſit. & hoc ita, quod Græci dicere ſolent. ἐν πλάτει enim poteſt hoc memoria non teneri, intra annum (puta) factum: cùm interim nemo ſit eorum, qui meminerit, quibus conſulibus id viderit. ſed cùm omnium hæc eſt opinio; nec audiſſe, nec vidiſſe, cùm id opus fieret: neq; ex eis audiſſe, qui vidiſſent, aut audiſſent. & hoc infinitè ſimiliter ſuſum verſum accidet: cùm memoria operis facti non exſtaret.

29. *Scæuola* libro 9. Digeſtorum.

IMperatores Antoninus & Verus Auguſti Claudio Apolinari reſcripſerũt in hæc verba: Probationes, quæ de filiis dantur; nõ in ſola adfirmatione teſtium cõſiſtunt. ſed & epiſtulas, quæ vxorib. miſſæ allegarẽtur, ſi de fide earũ conſtitit, nonnullã vicem inſtrumentorũ optinere, decretũ eſt. 1 ¶ Mulier grauida repudiata, filium enixa abſente marito, vt ſpuriũ in actis profeſſa eſt. quæſitum eſt; an is in poteſtate patris ſit; & matre inteſtata mortua, iuſſu eius, hęreditatem matris adire poſsit; nec obſit profeſsio, à matre irata, facta. reſpondit veritati locum ſuperfore.

30. Libro 1. Reſponſorum Feſto reſpondit.

SI ancilla fuit, ad libertatem perductam non videri, neque per fideicommiſſi relicti ſibi probationé, nec quod alimenta ſunt vt nutrici præſtita.

31. Libro 2. Maſtorio Sabino.

COmmemorationem in chirographo pecuniarũ, quæ ex alia cauſa debere dicuntur, factam, vim obligationis non habere.

## DE FIDE INSTRVMENTORVM, & amiſſione eorum,

## TIT. III.

*Paulus* libro 2. Sententiarum.

INſtrumentorum nomine ea omnia accipiẽda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia, quàm perſonæ, inſtrumentorum loco habentur.

2. *Idem* libro 5. Sententiarum.

QVicumque à fiſco conuenitur: non ex indice, & exemplo alicuius ſcripturæ: ſed ex authentico conueniendus eſt. ita ſi contractus fides poſſit oſtendi. ceterùm, calumnioſam ſcripturam vim in iudicio optinere, non conuenit.

3. *Idem* libro 3. Reſponſorum reſpondit

REpetita quidem dic, cautionem interponi, non debuiſſe, ſed falſi crimen, quantum ad eos, qui in hoc conſenſerunt contractum non videri: cùm inter præſentes, & conuenientes, res actitata ſit; magiſque debitor, quàm creditor deliquerit.

4. *Gaius* libro ſingulari de Formula hypothecaria.

IN re hypothecæ nomine obligata, ad rem non pertinet, quibus fit verbis. ſicuti eſt & in his obligationibus, quæ conſenſu contrahuntur. & ideo & ſine ſcriptura ſi conuenit, vt hypothecæ ſit, & probari poterit: res obligata erit, de qua conueniunt. fiunt enim de his ſcripturæ, vt, quod actum eſt, per eas faciliùs probari poſſit: & ſine his autem valet, quod actum eſt, ſi habeat probationem. ſicut & nuptiæ ſunt, licèt teſtatio ſine ſcriptis habita eſt.

5. *Calliſtratus* libro 2. Quæſtionum.

SI res geſta, ſine literarum quoque conſignatione, veritate factum ſuum præbeat: non ideo minùs valeVit, quòd inſtrumentum nullum de ea interceſſit.

6. *Vlpianus* libro 50. ad Edictum.

SI de tabulis teſtamenti deponendis agatur: & dubitetur, cui eas deponi oportet: ſemper ſeniorem iuniore, & amplioris honoris inferiore, & marem feminæ, & ingenuum libertino præferemus.

## DE TESTIBVS,

## TIT. V.

*Arcadius*, qui & Chariſius, libro ſingulari de Teſtibus.

TEſtimoniorum vſus frequens, ac neceſſarius eſt: & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat. 1 ¶ Adhiberi quoque teſtes poſſunt non ſolùm in criminalibus cauſis, ſed etiam in pecuniariis litibus, ſicubi res poſtulat, & hi, quibus non interdicitur teſtimonium, nec vlla lege à dicendo teſtimonio excuſantur.

2 ¶ Quamquam quibuſdam legibus ampliſſimus numerus teſtium definitus ſit: tamen, ex conſtitutionibus principum, hæc licentia ad ſufficientem numerum teſtium coartatur: vt iudices moderẽtur, & eum ſolum numerum teſtium, quem neceſſarium eſſe putauerint, euocari patiantur: ne effrenata poteſtate ad vexandos homines, ſuperflua multitudo teſtium protrahatur.

2. *Modeſtinus* libro 8. Regularum.

IN teſtimoniis autem dignitas, fides, mores, grauitas examinanda eſt. & ideo teſtes, qui aduerſus fidem ſuam teſtationis vacillant, audiendi non ſunt.

3. *Calliſtratus* libro 4. de Cognitionibus.

TEſtium fides diligenter examinanda eſt. ideoque in perſona eorum exploranda erunt in primis condicio cuiuſque: vtrùm quis decurio, an plebeius ſit: & an honeſtæ, inculpatæ vitæ; an verò notatus quis & reprehenſibilis: an locuples: vel egens ſit, vt lucri cauſa quid facile admittat: vel an inimicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. nam ſi careat ſuſpicione teſtimonium, vel propter perſonam, à qua fertur, quòd honeſta ſit, vel propter cauſam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ cauſa ſit: admittendus eſt.

1 ¶ Ideoque Diuus Hadrianus Viuio Varo legato prouinciæ Ciciliæ reſcripſit, eum, qui iudicat, magis poſſe ſcire, quanta fides habenda ſit teſtibus. verba epiſtulæ hæc ſunt: Tu magis ſcire potes, quanta fides habenda ſit teſtibus: qui & cuius dignitatis, & cuius exiſtimationis ſint: & qui ſimpliciter viſi ſint dicere, vtrùm vnum eundémque meditatum ſermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogaueras, ex tempore veriſimilia reſponderint. 2 ¶ Eiuſdem quoque principis exſtat reſcriptum ad Valerium Verum de excutienda fide teſtium in hæc verba: Quæ argumenta ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo ſatis definiri poteſt. ſicut non ſemper, ita ſæpe, ſine publicis monumentis cuiuſque rei veritas deprehenditur. aliàs numerus teſtium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. hoc ergo ſolùm tibi reſcribere poſſum ſummatim: non vtique ad vnam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim alligari debere: ſed ex ſententia animi tui te æſtimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris. 3 ¶ Idem Diuus Hadrianus Iunio Ruſino proconſuli Macedonæ reſcripſit, teſtibus ſe, non teſtimoniis crediturum. verba epiſtulæ ad hanc partem pertinentia, hæc ſunt: Quòd crimina obiecerit apud me Alexander Apro: & quia non probabat, nec teſtes producebat, ſed teſtimoniis vti volebat, quibus apud me locus non eſt: nam ipſos interrogare ſoleo: quem remiſi ad prouinciæ præſidem: vt is de fide teſtium quæreret; &, niſi impleſſet, quod intenderat, relegaretur.

4 ¶ Gabinio quoque Maximo idem princeps in hæc verba reſcripſit: Alia eſt auctoritas præſentium teſtium: alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent. tecum ergo delibera, vt, ſi retinere eos velis, des ei impendia.

5 ¶ Lege Iulia de vi cauetur, ne hac lege in reum teſtimonium dicere liceret, qui ſe ab eo, parentéve eius liberauerit: quive impuberes erunt, quique iudicio publico damnatus erit, qui eorum in integrum reſtitutus nõ erit: quive in vinculis, cuſtodiave publica erit: quive ad Veſtias vt depugnaret, ſe locauerit: quæue palam quæſtum faciet, fecerit. ve: quive, ob teſtimonium dicendum, vel non dicẽdum, pecuniam accepiſſe iudicatus, vel conuictus erit. nam quidam propter reuerentiam perſonarum, quidam propter lubricum conſilij ſui, lij verò propter notam & infamiam vitæ ſuæ, admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem.

6 ¶ Teſtes nõ temere euocandi ſunt per longum iter: & multo minùs milites auocãdi ſunt à ſignis vel muneribus, perhibendi teſtimonij cauſa. idque Diuus Hadrianus reſcripſit. Sed & Diui fratres reſcripſerunt: Quod ad teſtes euocandos pertinet: diligentiæ iudicantis eſt, explorare, quæ conſuetudo in ea prouincia, in quam iudicat, fuerit. nam ſi pro habitur, ſæpe in aliam ciuitatem, teſtimonij gratia, pleroſque euocatos: non eſſe dubitandum, quin euocandi ſint, quos neceſſarios in ipſa cognitione deprehenderit, qui iudicat.



4 *Paulus* libro 2. ad Legem Iuliam & Papiam.

LEge Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuncietur, vt teſtimonium litis dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricum, priuignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eoſve qui priore gradu ſint. item ne liberto ipſius, liberorum eius, parentium, viri, vxoris, item patroni, patronæ. & vt ne patroni, patronæ aduerſus libertos: neque liberti aduerſus patronum cogantur teſtimonium dicere.

5 *Gaius* libro 4. ad Legem Iuliam & Papiam.

IN legibus: quibus excipitur, ne gener, aut ſocer inuitus teſtimonium dicere cogeretur: generi appellatione ſponſum quoque filiæ contineri placet. item ſoceri ſponſæ patrem.

6 *Licinius Ruſinus* libro 2. Regularum.

IDonei non videntur eſſe teſtes, quibus imperari poteſt, vt teſtes fiant.

7 *Modeſtinus* libro 3. Regularum.

SInſtra reſponſo tunc credendum eſt, cum alia probatio ad eruendam veritatem non eſt.

8. *Scæuola* libro 4. Regularum.

INuiti teſtimonium dicere non coguntur ſenes, valetudinarij, vel milites, vel qui cum magiſtratu reipublicæ cauſa abſunt, vel quibus venire non licet.

9. *Paulus* libro 1. ad Sabinum.

TEſtis idoneus pater filio, aut filius patri non eſt.

10. *Pomponius* libro 1. ad Sabinum.

NVllus idoneus teſtis in re ſua intellegitur.

11. *Idem* libro 33. ad Sabinum.

AD fidem rei geſtæ faciendam etiam non rogatus teſtis intellegitur

12. *Vlpianus* libro 37. ad Edictum.

VBi numerus teſtium non adicitur, etiam duo ſufficient. pluralis enim elocutio, duorum numero contenta eſt.

13 *Papinianus* libro 1. de Adulteriis.

QVæſitum ſcio, an in publicis iudiciis calumniæ damnati teſtimonium iudicio publico perhibere poſſunt ſed neque lege Remmia prohibentur: & Iulia lex de vi, & repetundarum, & peculatus, eos homines teſtimonium dicere non vetuerunt. verumtamen, quod legibus omiſſum eſt, non omittetur religione iudicantium, ad quorum officium pertinet, eius quoque teſtimonij fidem, quod integræ frontis homo dixerit, perpendere.

14 *Idem* libro ſingulari de Adulteriis.

SCio quidem tractatum eſſe, an ad teſtamentum faciendum adhiberi poſſit adulterij damnatus. & ſanè iuſte teſtimonij officio ei interdicetur. Exiſtimo ergo: neque iure ciuili teſtamentum valere, ad quod huiuſmodi teſtis proceſſit, neque iure prætorio, quod ius ciuile ſubſequitur. vt neque hereditas adiri, neque bonorum poſſeſſio dari poſſit.

15. *Paulus* libro 3. Sententiarum.

REpetundarum damnatus, nec ad teſtamentum, nec ad teſtimonium adhiberi poteſt. ¶ Hermaphroditus an ad teſtamentum adhiberi poſſit, qualitas ſexus incaleſcentis oſtendit.

16. *Idem* libro 5. Sententiarum.

QVi falsò vel varie teſtimonia dixerunt, vel vtrique parti prodiderunt: à iudicibus competenter puniuntur.

17. *Vlpianus* libro ſingulari Regularum.

PAter, & filius, qui in poteſtate eius eſt: item duo fratres, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt, teſtes vtrique in eodem teſtamento, vel eodem negotio fieri poſſunt. quoniam nihil nocet, ex vna domo plures teſtes alieno negotio adhiberi.

18. *Paulus* libro 2. de Adulteriis.

EX eo quod prohibet lex Iulia de adulteriis, teſtimonium dicere cõdamnatam mulierem: colligitur, etiam mulieres teſtimonij in iudicio dicendi ius habere.

10. *Vlpianus* libro 8. de Officio proconſulis.

INuiti teſtimonium non dicunt publicani. item is, qui non detrectandi teſtimonij cauſa aberit. item is, qui quid exercitui præbendum conduxerit. 1 ¶ Sed nec pupillis teſtimonium denunciari poteſt.

20. *Venuleius* libro 2 de Iudiciis publicis.

IN teſtimonium accuſator citare non debet eum, qui iudicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit.

21. *Arcadius*, qui & Chariſius, libro ſingulari de teſtibus.

OB carmen famoſum damnatus, inteſtabilis fit. 1 ¶ Illud quoque incunctabile eſt: vt, ſi res exigat, non tantùm priuati, ſed etiam magiſtratus, ſi in præſenti ſint, teſtimonium dicant. Item ſenatus ſenſuit prætorem teſtimonium dare debere in iudicio adulterij cauſa. 2 ¶ Si ea rei condicio ſit, vbi harenarium teſtem, vel ſimilem perſonam admittere cogimur: ſine tormentis teſtimonio eius credendum non eſt. 3 ¶ Si teſtes omnes eiuſdem honeſtatis, & exiſtimationis ſint: & negotij qualitas ac iudicis motus cum his concurrit: ſequenda ſunt omnia teſtimonia. ſi verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero: credendum eſt: ſed quod naturæ negotij conuenit, & quod inimicitiæ, aut gratiæ ſuſpicione caret. confirmabitque iudex motum animi ſui ex argumentis, & teſtimoniis, & quæ rei aptiora, & verò proximiora eſſe compererit. non enim ad multitudinẽ reſpici oportet: ſed ad ſinceram teſtimoniorum fidem, & teſtimonia, quibus potiùs lux veritatis adſiſtit.

22. *Venuleius* libro 2. de Officio proconſulis.

CVrent magiſtratus cuiuſque loci, teſtari volentibus & ſeipſos & alios, teſtes vel ſignatores præbere: quo faciliùs negotia explicentur, & probatio rerum ſalua ſit.

23. *Idem* libro 1. de Iudiciis publicis.

PRoduci teſtis is non poteſt, qui, ante in eũ reum teſtimonium dixit.

24. *Paulus* libro 5. Sententiarum.

TEſtes eos, quos accuſator de domo produxerit, interrogari non placuit.

25. *Arcadius* qui & Chariſius libro ſingulari de Teſtibus.

MAndatis cauetur, vt præſides attendant, ne patroni in cauſa, cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium dicant. quod & in executoribus negotiorum obſeruandum eſt.

## DE IVRIS, ET FACTI ignorantia,

## TIT. VI.

*Paulus* libro 44. ad Edictum.

IGnorantia vel facti, vel iuris eſt. 1 ¶ Nam ſi quis neſciat, deceſſiſſe eum, cuius bonorum poſſeſſio defertur: non cedit ei tempus. Sed ſi ſciat quidem, defunctum eſſe cognatum: neſciat autem, proximitatis nomine, bonorum poſſeſſionem ſibi deferri: aut ſe ſciat ſcriptum heredem: neſciat autem, quod ſcriptis heredibus bonorum poſſeſſionem prætor promittit: cedit ei tempus; quia in iure errat. Idem eſt, ſi frater conſanguineus defuncti credat, matrem potiorem eſſe. 2 ¶ Si quis neſciat, ſe cognatum eſſe: interdum in iure, interdum in facto errat. nam ſi & liberum ſe eſſe, & ex quibus natus ſit ſciat, iura autem cognationis habere ſe neſciat: in iure errat. at ſi quis forte expoſitus, cuorum parentium eſſet, ignoret, fortaſſe & ſeruiat alicui, putans ſe ſeruũ eſſe: in facto magis quam in iure, errat. 3 ¶ Itẽ ſi quis ſciat quidẽ, alij delatam

leg. 20. ff. de testibus.
l'art. 2. du titre VI. de l'ord. de 1670.
admet la deposition des enfans de l'un
et de l'autre sexe quoiqu'au dessous de
l'age de puberté, sauf y avoir par le
juge tel egard que de raison en les jugeant.

eſſe bonorum poſſeſsionem;neſciat autem,ei tempus præteriſſe bonorum poſſeſsionis:in facto errat. Idem eſt,ſi putet, eum bonorum poſſeſsionem accepiſſe. Sed ſi ſciat,eum non petiſſe, tempúſque ei præteriſſe;ignoret autem,ſibi ex ſucceſſorio capite competere bonorum poſſeſsionem:cedet ei tempus: quia in iure errat.

4 ¶ Idem dicemus, ſi ex aſſe heres inſtitutus, non putet ſe bonorum poſſeſsionem petere poſſe ante apertas tabulas. quòd ſi neſciat eſſe tabulas, in facto erat.

2. *Neratius* libro 5. Membranarum.

IN omni parte error in iure non eodem loco, quo facti ignorantia haberi debebit. cum ius finitum & poſsit eſſe,& debeat: facti interpretatio plerumq; etiam prudentiſsimos fallat.

3. *Pomponius* libro 3. ad Sabinum.

PLurimum intereſt, vtrùm quis de alterius cauſa & facto non ſciret,an de iure ſuo ignorat.

1 ¶ Sed Caſsius,ignorantiam Sabinum ita accipiendam exiſtimaſſe,refert:non deperditi,& nimium ſecuri hominis.

4. *Idem* libro 13. ad Sabinum.

IVris ignorantiã in vſucapione negatur prodeſſe. facti verò ignorantiam prodeſſe conſtat.

5. *Terentius Clemens* libro 2. ad Legem Iuliam & Papiam.

INiquiſsimum videtur,cuiquam ſciẽtiam alterius, quàm ſuam, nocere: vel ignorantiam alterius alij profuturam.

6. *Vlpianus* libro 18. ad Legem Iuliam & Papiam.

NEc ſupina ignorantia ferenda eſt factum ignorantis, vt nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. ſcientia enim hoc modo æſtimanda eſt:vt neque neglegentia craſſa, aut nimia ſecuritas, ſatis expedita ſit; neque delatoria curioſitas exigatur.

7. *Papinianus* libro 19. Quæſtionum.

IVris ignorantia non prodeſt adquirere volentibus. ſuum verò petentibus non nocet.

8. *Idem* libro 1. Definitionum.

ERror facti ne maribus quidem in damnis, vel compendiis obeſt. iuris autem error nec feminis in compẽdiis prodeſt. ceterùm in omnibus iuris error in damnis amittendæ rei ſuæ non nocet.

9. *Paulus* libro ſingulari de Iuris & facti ignorantia.

REgula eſt,iuris quidem ignorantiam cuique nocere:facti verò ignorantiam non nocere. videamus igitur, in quibus ſpeciebus locum habere poſſit:antè præmiſſo, quod minoribus vigintiquinque annis ius ignorare permiſſum eſt.quod & in feminis in quibuſdã cauſis propter ſexus infirmitatem dicitur. & ideo ſicubi non eſt delictum, ſed iuris ignorantia:non læduntur.Hac ratione, ſi minor vigintiquinq; annis filiofamilias crediderit, ſubuenitur ei, vt non videatur filiofamilias credidiſſe.

1 ¶ Si filiusfamilias miles à commilitone heres inſtitutus, neſciat, ſibi etiam ſine patre licere adire: per conſtitutiones principales ius ignorare poteſt: & ideo ei dies aditionis (non) cedit.

2 ¶ Sed facti ignorantia ita demum cuique non nocet,ſi non ei ſumma neglegentia obiciatur. quid enim, ſi omnes in ciuitate ſciant, quod ille ſolus ignorat? & rectè Labeo definit,ſcientiam neque curioſiſsimi,neque neglegentiſsimi hominis accipiẽdam: verùm eius,qui eam rem,diligenter inquirendo,notam habere poſsit.

3 ¶ Sed iuris ignorantiam non prodeſſe, Labeo ita accipiendum exiſtimat,ſi iuriſconſulti copiam haberet, vel ſua prudentia inſtructus ſit. vt, cui facile ſit ſcire, ei detrimento ſit iuris ignorantia, quod rarò accipiendum eſt.

4 ¶ Qui ignorauit, dominum eſſe rei venditorem: plus in re eſt,quàm in exiſtimatione mentis. & ideo; tametſi exiſtimet,ſe non à domino emere; tamen, ſi à domino ei tradatur,dominus efficitur.

5 ¶ Si quis ius ignorans, lege Falcidia vſus non ſit: nocere ei dicit epiſtula Diui Pij. Sed & imperatores Seuerus & Antoninus in hæc verba reſcripſerunt: Quod ex cauſa fideicommiſsi indebitum datum eſt,ſi non per errorem ſolutum eſt, repeti non poteſt.quamobrem Cargiliani heredes;qui; cùm ex teſtamento eius pecuniam ad opus aquæductus reipublicæ Cirtenſium relictam ſoluerint, non ſolùm cautiones non exegerunt, quæ interponi ſolent, vt, quod amplius cepiſſent municipes,quàm per legem Falcidiam licuiſſet, redderent, verumetiam ſtipulati ſunt, ne ea ſumma in alios vſus conuerteretur, & ſcientes prudentéſque paſsi ſunt eam pecuniam in opus aquæductus impendi:fruſtra poſtulant reddi ſibi à republica Cirtenſium, quaſi plus debito dederint.cùm ſit vtrumque iniquum;pecuniam, quæ ad opus aquæductus data eſt,repeti: & rempublicam ex corpore patrimonij ſui impendere: & in id opus, quod totum alienæ liberalitatis gloriam repræſentet. Quòd ſi ideo repetitionem eius pecuniæ habere credunt,quòd imperitia lapſi, legis Falcidiæ beneficio vſi non ſunt:ſciant,ignorantiam facti, non iuris prodeſſe:nec ſtultis ſolere ſuccurri,ſed errantibus.Et licèt municipum mentio in hac epiſtula fiat, tamen & in qualibet perſona idem obſeruabitur. ſed nec, quod in opere aquæductus relicta eſſe pecunia proponitur, in hunc ſolum caſum ceſſare repetitionem dicendum eſt. nam initium conſtitutionis generale eſt: demonſtrat enim, ſi non per errorem ſolutum ſit fideicommiſſum,quod indebitum fuit, non poſſe repeti. Item & illa pars æquè generalis eſt: vt qui, iuris ignorantia, legis Falcidiæ beneficio vſi non ſunt,(nec) poſsint repetere. vt ſecundùm hoc poſsit dici:etiam ſi pecunia,quæ per fideicommiſſum relicta eſt,quæque ſoluta eſt, non ad aliquid faciendum relicta ſit,& licèt conſumpta non ſit, ſed extet apud eum,cui ſoluta eſt:ceſſare repetitionem.

10. *Papinianus* libro 6. Reſponſorum.

IMpuberes ſine tutore agentes, nihil poſſe ſcire intelleguntur.

# LIBER VICESIMVSTERTIVS.

## DE SPONSALIBVS.

*Florentinus* libro 3. Inſtitutionum.

SPonſalia ſunt mentio & repromiſsio nuptiarum futurarum.

2. *Vlpianus* libro ſingulari de Sponſalibus.

SPonſalia autem dicta ſunt à ſpondendo.nam moris fuit veteribus, ſtipulari, & ſpondere ſibi vxores futuras.

3. *Florentinus* libro 3. Inſtitutionum.

VNde & ſponſi,ſponſæque appellatio nata eſt.

4. *Vlpianus* libro 35. ad Sabinum.

SVfficit nudus conſenſus ad conſtituenda ſpõſalia.

1 ¶ Denique conſtat,& abſenti abſentem deſpõderi poſſe:& hoc cottidie fieri.

5. *Pomponius* libro 16. ad Sabinum.

HÆc ita: ſi, ſcientibus his, qui abſint, ſponſalia fiant:aut ſi poſtea ratum habuerint.

6. *Vlpianus* libro 36. ad Sabinum.

SI puellæ tutores ad finienda ſponſalia nuntium miſerunt:non putarem ſuffecturum,ad diſſoluendam nuptiarum ſpem, hunc nuntium: non magis, quàm ſponſalia poſſe eos ſolos conſtituere. niſi fortè omnia iſta ex voluntate puellæ facta ſint.



7. *Paulus* libro 35. ad Edictum.

IN ſponſalibus nihil intereſt, vtrum teſtatio interponatur,an aliquis ſine ſcriptura ſpondeat.

1 ¶ In ſponſalibus etiam conſenſus eorum exigendus eſt,quorum in nuptiis deſideratur, intellegi tamen ſemper filiæ patrem conſentire, niſi euidenter diſſentiat,Iulianus ſcribit.

8. *Gaius* libro 11. ad Edictum prouinciale.

FVror quin ſponſalibus impedimento ſit, plus quàm manifeſtum eſt.ſed poſtea interueniens, ſponſalia non infirmat.

9. *Vlpianus* libro 35. ad Edictum.

QVæſitum eſt apud Iulianum, an ſponſalia ſint, ante duodecimum annum ſi fuerint nuptiæ collatæ.& ſemper Labeonis ſententiam probaui exiſtimantis, ſi quidem præceſſerint ſponſalia,durare ea, quamuis in domo loco nuptæ eſſe cœperit:ſi verò non præceſſerint, hoc ipſo,quòd in domum deducta eſt,non videri ſponſalia facta. quam ſententiam Papinianus quoque probat.

10. *Idem* libro 3. Diſputationum.

IN poteſtate manente filia,pater ſponſo nuntium remittere poteſt,& ſponſalia diſſoluere.enimuero ſi emancipata eſt, non poteſt neque nuncium remittere,neque,quæ dotis cauſa data ſunt,cõducere.ipſa enim filia,nubendo, efficiet dotem eſſe, conditionemque extinguet,quæ, cauſa non ſecuta, naſci poterit:niſi fortè quis proponat, ita dotem patrem pro emancipata filia dediſſe:vt, ſi nuptiis non conſentiret vel contractis, vel non contractis,repeteret,quæ dederat. tunc enim habebit repetitionem.

11. *Iulianus* libro 16. Digeſtorum.

SPonſalia,ſicut nuptiæ, conſenſu contrahentium fiunt.& ideo,ſicut nuptiis,ita ſponſalibus filiãfamilias conſentire oportet.

12. *Vlpianus* libro ſingulari de Sponſalibus.

SEd,quæ patris voluntati non repugnat, conſentire intellegitur. 1 ¶ Tunc autem ſolum diſſentiendi à patre licentia filiæ conceditur,ſi indignum moribus, vel turpem ſponſum ei pater eligat.

13. *Paulus* libro 5. ad Edictum.

FIliofamilias diſſentiente, ſponſalia nomine eius fieri non poſſunt.

14. *Modeſtinus* libro 4. Differentiarum.

IN ſponſalibus contrahendis ætas contrahentium definita non eſt,vt in matrimoniis. quapropter & à primordio ætatis ſponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab vtraque perſona intellegatur, id eſt,ſi non ſint minores,quam ſeptem annis.

15. *Idem* libro ſingulari de Enucleatis caſibus.

TVtor factam pupillam ſuam nec ipſe vxorem ducere,nec filio ſuo in matrimonio adiungere poteſt.ſcias tamen, quod de nuptiis tractamus, & ad ſponſalia pertinere.

16. *Vlpianus* libro 3. ad Legem Iuliam & Papiam.

ORatio imperatorum Antonini & Commodi, quæ quaſdam nuptias in perſonam ſenatorum inhibuit,de ſponſalibus nihil locuta eſt. rectè tamen dicitur, etiam ſponſalia in his caſibus ipſo iure nullius eſſe momenti:vt ſuppleatur, quod orationi deeſt.

17. *Gaius* libro 1. ad Legem Iuliam & Papiam.

SAEpe iuſtæ,ac neceſſariæ cauſæ non ſolum annum,vel biennium,ſed etiam triennium,& quadriennium,& vlteriùs trahunt ſponſalia.veluti valetudo ſponſi,ſponſæve:vel mortes parentium: aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex neceſſitate fiunt.

18. *Vlpianus* libro 6. ad Edictum.

IN ſponſalibus conſtituendis parui refert, per ſe, an per internuntium, vel per epiſtulã, an per alium hoc factum eſt.& ferè plerumque cõdiciones,interpoſitis perſonis,expediuntur.

## DE RITV NVPTIARVM, TIT. II.

*Modeſtinus* libro 1. Regularum.

NVptiæ ſunt coniunctio maris & feminæ,& conſortium omnis vitæ:diuini, & humani iuris communicatio.

2. *Paulus* libro 35. ad Edictum.

NVptiæ conſiſtere non poſſunt,niſi conſentiant omnes.id eſt,qui coëunt: quorúmque in poteſtate ſunt.

3. *Idem* libro 1. ad Sabinum.

SI nepotem ex filio, & neptem ex altero filio in poteſtate habeam:nuptias inter eos, me ſolo auctore contrahi poſſe Pomponius ſcribit. & verum eſt.

4. *Pomponius* libro 3. ad Sabinum.

MInorem annis duodecim nuptam,tunc legitimam vxorem fore,cum apud virum expleſſet duodecim annos.

5. *Idem* libro 4. ad Sabinum.

MVlierem abſenti per literas eius,vel per nuntium poſſe nubere placet, ſi in domum eius deduceretur.eam verò, quæ abeſſet, ex literis vel nuntio ſuo duci à marito non poſſe. deductione enim opus eſſe in mariti, non in vxoris domum, quaſi in domicilium matrimonii.

6. *Vlpianus* libro 35. ad Sabinum.

DEniquè Cinna ſcribit:Eum,qui abſentem accepit vxorem, deinde rediens à cena iuxta Tiberim periſſet,ab vxore lugendum reſponſum eſt.

7. *Paulus* libro ſingulari ad Legem Falcidiam.

IDeóque poteſt fieri,vt in hoc caſu aliqua virgo & dotem,& de dote habeat actionem.

8. *Pomponius* libro 5. ad Sabinum.

LIbertinus libertinam matrem, aut ſororem, vxorem ducere non poteſt:quia hoc ius moribus, non legibus introductum eſt.

9. *Vlpianus* libro 26. ad Sabinum.

SI nepos vxorem velit ducere,auo furente:omnimodò patris auctoritas erit neceſſaria.ſed ſi pater furit,auus ſapiat:ſufficit aui voluntas.

1 ¶ Is,cuius pater ab hoſtibus captus eſt, ſi non intra triennium reuertatur,vxorem ducere poteſt.

10 *Paulus* libro 35. ad Edictum.

SI ita pater abſit,vt ignoretur, vbi ſit, & an ſit: quid faciendum eſt,meritò dubitatur.& ſi triennium effluxerit: poſtquàm apertiſſimè fuerit pater ignotus,vbi degit,& an ſuperſtes ſit:non prohibentur liberi eius,vtriuſque ſexus, matrimonium vel nuptias legitimas contrahere.

11. *Iulianus* libro 62. Digeſtorum.

SI filius eius:qui apud hoſtes eſt, vel abſit, ante triennium captiuitatis,vel abſentiæ patris,vxorem duxit,vel ſi filia nupſerit: puto,rectè matrimonium vel nuptias contrahi: dũmodò eam filius ducat vxorem: vel filia tali nubat: cuius condicionem,certum ſit,patrem non repudiaturum.

12. *Vlpianus* libro 26. ad Sabinum.

SI qua mihi vxor fuit:deinde à me repudiata,nupſit Seio: quem ego poſtea adrogaui: non ſunt nuptiæ inceſtæ. 1 ¶ Inter me & ſponſam patris mei nuptiæ contrahi non poſſunt: quamquam nouerca mea non propriè dicatur. 2 ¶ Sed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit:quamuis nurus non propriè dicatur. 3 ¶ Si vxor mea poſt diuortium alij nupſerit, & filiam ſuſceperit:putat Iulianus,hanc quidem priuignam non eſſe,verùm nuptiis eius abſtinendum. 4 ¶ Adoptiuæ ſororis filiam poſſum vxorem ducere. cognata enim mea nõ eſt filia eius:quia auun-

leg. 14a. ff de sponsalibus.
les impuberes peuvent se fiancer a l'age de sept ans du consentement de leurs parens, mais etant parvenues a l'age de raison ils sont libres d'accomplir ou de ne pas accomplir le mariage.

leg. 25. ff. de ritu nuptiarum
nous ne suivons point en france la loi papia. et l'inegalité des condition n'empeche ni ne rompt le mariage.

culus.nemo ſit per adoptionem. & eæ demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ eſſent. id eſt,quæ adgnatorum ius haberẽt. Pari ratione & ſororem patris mei adoptiui poſſum ducere,ſi non fuit eodem patre nata.

13.*Idem* libro 34.ad Sabinum.

SI patrona tã ignobilis ſit , vt ei honeſtæ ſint vel ſaltem liberti ſui nuptiæ: officio iudicis ſuper hoc cognoſcentis,hæ prohiberi nõ debent.

14.*Paulus* libro 35.ad Sabinum.

ADoptiuus filius,ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptiui vxor fuit,ducere non poteſt: quia nouercæ locum habet. 1 ¶ Item ſi quis filium adoptauerit:vxorem eiuſdem, quæ nurus loco eſt, ne quidem poſt emancipationem filij ducere poterit.quoniam aliquando nurus ei fuit. 2 ¶ Seruiles quoque cognationes in hoc iure obſeruandæ ſunt. igitur ſuam matrem manumiſſus non ducet vxorem. tantundem iuris eſt & in ſorore,& ſororis filia.Idem e contrario dicendum eſt , vt pater filiã non poſſit ducere,ſi ex ſeruitute manumiſſi ſint: & ſi dubitetur,patrẽ eum eſſe.Vnde nec vOlgò quæſitam filiam pater naturalis poteſt vxorem ducere. quoniam in contrahendis matrimoniis naturale ius , & pudor inſpiciendus eſt:contra pudorem eſt autem,filiam vxorem ſuam ducere. 3 ¶ Idem tamen, quod in ſeruilibus cognationibus conſtitutum eſt, etiam in ſeruilibus adfinitatibus ſeruandum eſt.veluti,vt eam quæ in contubernio patris fuerit,quaſi nouercam, non poſſim ducere. & contrà,eam,quæ in contubernio filij fuerit , patrem quaſi nurum non ducere, æque nec matrem eius, quam quis in ſeruitute vxorem habuit , quaſi ſocrum. cùm enim cognatio ſeruilis intellegitur, quare non & adfinitas intellegatur?ſed in re dubia certius & modeſtius eſt , huiuſmodi nuptiis abſtinere. 4 ¶ Nunc videamus,quomodo nouerca, & priuigna,& ſocrus,& nurus intellegantur: vt ſciamus,quas non liceat ducere. Quidam nouercam per ſe patris vxorem,& nurum filij vxorem,& priuignam vxoris ex alio marito filiam intellegũt. ſed quod ad hanc cauſam,verius eſt,nec aui vxorẽ, nec proaui duci poſſe.duas ergo,vel plures nouercas ducere non poterit non mirum. nam & is,qui adoptiuus eſt,nec naturalis patris, nec adoptiui vxorem ducere poteſt. ſed & ſi plures vxores pater habuerit,nullam earum ducere poſſum. Itaque ſocrus appellatione non tantùm vxoris meæ mater, ſed & auia,& proauia intellegitur, vt nullam earum ducere poſſim. Nurus quoque appellatione non tantum filij vxor:ſed & nepotis , & pronepotis continetur : licèt quidam has pronurus appellant. Priuigna quoque non ſolum ea mihi intellegitur,quæ vxoris meæ filia eſt,ſed & neptis,& proneptis:vt nullam earum ducere poſſim. Item eius matrem,quam ſponſam habui , non poſſe me vxorem ducere,Auguſtus interpretatus eſt.fuiſſe enim eam ſocrum.

15.*Papinianus* libro 4.Reſponſorum.

VXorem quondam priuigni coniungi matrimonio vitrici non oportet.nec in matrimonium conuenire nouercam eius , qui priuignæ maritus fuit.

16.*Paulus* libro 35.ad Edictum.

ORatione diui Marci cauetur,vt,ſi ſenatoris filia libertino nupſiſſet,nec nuptiæ eſſent quã & ſenatuſconſultum ſecutum eſt. 1 ¶ Nepote vxorem ducente , & filius conſentire debet. neptis verò ſi nubat , voluntas & auctoritas aui ſufficiet. 2 ¶ Furor contrahi matrimonium non ſinit: quia conſenſu opus eſt:ſed recte contractum non impedit.

17 *Gaius* libro 21.ad Edictum Prouinciale.

PEr adoptionem quæſita fraternitas eouſque impedit nuptias,donec manet adoptio: ideo que eam, quam pater meus adoptauit, & emancipauit,potero vxorem ducere. æque & ſi, me emancipato, illam in poteſtatem retinuerit : poterimus iungi matrimonio. 1 ¶ Itaque volenti generum adoptare ſuadetur,vt filiam emanciparet. ſimiliter ſuadetur ei,qui nurum velit adoptare , vt emancipet filium. 2 ¶ Amitam quoque,& materteram, item magnam quoque amitam,& materteram magnam prohibemur vxorem ducere.quamuis magna amita,& matertera,quarto gradu ſint. Vtrque autem amitam , & amitam magnam prohibemur vxorem ducere,& ſi per adoptionem nobis coniunctæ ſint.

18.*Iulianus* libro 16.Digeſtorum.

NVptiæ inter eaſdem perſonas niſi volentibus parentibus renouatæ,iuſtæ non habentur.

19.*Marcianus* libro 16.Inſtitutionum.

CApite trigeſimoquinto legis Iuliæ : qui liberos,quos habent in poteſtate , iniuria prohibuerint ducere vxores,vel nubere , vel qui dotem dare non volunt:ex conſtitutione Diuorum Seueri & Antonini,per proconſules, præſideſque prouinciarum coguntur in matrimonium collocare , & dotare.Prohibere autem videtur, & qui condicionem non quærit.

20.*Paulus* libro ſingulari ad orationem Diui Seueri & Commodi.

SCiendum eſt,ad officium curatoris (non) pertinere,nubat pupilla,an nõ:quia officium eius in adminiſtratione negotiorum conſtat & ita Seuerus & Antoninus reſcripſerunt in hæc verba : Ad officium curatoris adminiſtratio pupillæ pertinet. nubere autem pupilla ſuo arbitrio poteſt.

21.*Terentius Clemens* libro tertio ad Legem Iuliam & Papiam.

NOn cogitur filiusfamilias vxorem ducere.

22 *Celſus* libro 15.Digeſtorum.

SI patre cogente ducit vxorem , quam non duceret,ſi ſui arbitrij eſſet:contraxit tamen matrimonium;quod inter inuitos non contrahitur maluiſſe hoc videtur.

23.*Idem* libro 30 Digeſtorum.

LEge Papia cauetur,omnibus ingenuis , præter ſenatores,eorumque liberos libertinam vxorẽ habere licere.

24.*Modeſtinus* libro 1.Regularum.

IN libertæ mulieris conſuetudine non concubinatus,ſed nuptiæ intellegendæ ſunt:ſi non corpore quæſtum fecerit.

25.*Idem* libro 2.Regularum.

FIlius emancipatus etiam ſine conſenſu patris vxorem ducere poteſt.& ſuſceptus filius ei heres erit

26.*Idem* libro 5 Reſponſorum reſpondit.

REas adulterij factas,nec ante damnationem viuente marito vxores duci poſſe.

27.*Vlpianus* libro tertio ad Legem Iuliam & Papiam.

SI quis in ſenatorio ordine agens libertinã habuerit vxorem:quamuis interim vxor non ſit: attamen in ea condicione eſt:vt,ſi amiſerit dignitatem,vxor eſſe incipiat.

28.*Marcianus* libro 10.Inſtitutionum.

INuitam libertam vxorem ducere patronus non poteſt.

29 *Vlpianus* libro 3.ad Legem Iuliam & Papiam.

QVod & Ateius Capito conſulatu ſuo fertur decreuiſſe.hoc tamen ita obſeruandum eſt : niſi patronus ideo eam manumiſit,vt vxorem eam ducat.

30.*Gaius* libro 2.ad Legem Iuliam & Papiam.

SImulatæ nuptiæ nullius momenti ſunt.

31.*Vlpianus* libro ſexto ad Legem Iuliam & Papiam.

SI ſenatori,indulgẽtia principis,fuerit permiſſum libertinam iuſtam vxorem habere : poteſt iuſta vxor eſſe.

32.*Ma*



32.*Marcellus* libro 1.ad Legem Iuliam & Papiam.

SCiendum eſt,libertinum , qui ſe ingenuo dedit, adrogandum , quamuis in eius familia ingenui iura ſit conſecutus,vt libertinum tamen à ſenatoriis nuptiis repellendum eſſe.

33. *Idem* libro 3.ad Legem Iuliam & Papiam.

PLeriq; opinantur:cùm eadem mulier ad eundem virum reuertatur , id matrimonium idem eſſe. quibus adſentior; ſi non multo tempore interpoſito reconciliati fuerint;nec inter moras aut illa alij nupſerit,aut hic aliam duxerit ; maximè ſi nec dotem vir reddiderit.

34. *Papinianus* libro 4.Reſponſorum.

GEnerali mandato quærendi mariti filiefamilias, non fieri nuptias,rationis eſt. itaq; perſonam eius patri demonſtrari , qui matrimonio conſenſerit, vt nuptiæ contrahantur,neceſſe eſt. 1 ¶ Ream adulterij,quam vir iure mariti poſtulauit, non prohibetur poſt abolitionem vxorem denuò ducere.ſed & ſi non iure mariti ream poſtulabit,iure contractum matrimonium videbitur. 2 ¶ Inter priuignos contrahi nuptiæ poſſunt , etſi fratrem communem ex nouo apparentium matrimonio ſuſceptum habeãt. 3 ¶ Filiam ſenatoris , nuptias libertini ſecutam,patris caſus non faciat vxorem. nam quæſita dignitas liberis , propter crimen patris auferendã (non)eſt.

35. *Idem* libro 6.Reſponſorum.

FIliusfamilias miles matrimonium ſine patris voluntate non contrahit.

36. *Paulus* libro 5.Quæſtionum.

TVtor vel curator adultam vxorem ducere non poteſt:niſi à patre deſponſa,deſtinatáve , teſtamentove nominata condicione nuptiis,ſecuta fuerit.

37. *Idem* libro 7.Reſponſorum.

LIbertum curatoris puellæ prohiberi oportet vxorem eandem ducere.

38. *Idem* libro 2.Sententiarum.

SI quis officium in aliqua prouincia adminiſtrat. inde oriundam , vel vbi domicilium habentem, vxorem ducere non poteſt : quamuis ſponſare non prohibeatur.ita ſcilicet,vt,ſi poſt officium depoſitũ noluerit mulier nuptias contrahere,liceat ei hoc facere,arris tantummodò redditis,quas acceperat.

1 ¶ Veterem ſponſam in prouincia,qua quis adminiſtrat, vxorem ducere poteſt. & dos data non fit caduca. 2 ¶ Qui in prouincia aliquid adminiſtrat : in ea prouincia filias ſuas in matrimonium collocare,& dotem conſtituere non prohibetur.

39. *Idem* libro 6.ad Plautium.

SOroris proneptem non poſſum ducere vxorem, quoniam parentis loco ei ſum. 1 ¶ Si quis ex his,quas moribus prohibemur vxores ducere, duxerit:inceſtum dicitur committere.

40. *Pomponius* libro 4.ex Plautio.

ARiſto reſpondit , priuignæ filiam non magis vxorem duci poſſe,quàm ipſam priuignam.

41. *Marcellus* libro 26.Digeſtorum.

PRobrum intellegitur etiam in his mulieribus eſſe,quæ turpiter viuerent,vOlgoq; quæſtum facerent,etiam ſi non palàm. 1 ¶ Et ſi qua ſe in concubinatu alterius,quàm patroni,tradidiſſet : matrifamilias honeſtatem non habuiſſe dico.

42. *Modeſtinus* libro ſingulari de Ritu nuptiarum.

SEmper in coniunctionibus non ſolùm : quid liceat,conſiderandum eſt,ſed & quid honeſtum ſit. 1 ¶ Si ſenatoris filia,neptis,proneptis,libertino,vel qui artem ludicrám exercuit,cuiúſve pater, materve id fecerit,nupſerit:nuptiæ non erunt.

43. *Vlpianus* libro 1.ad Legem Iuliam & Papiam.

PAlam quæſtum facere dicemus non tantùm eam quæ in lupanario ſe proſtituit : verùm etiam ſi qua(vt adſolet)in taberna cauponia,vel qua alia pudori ſuo non parcit. 1 ¶ *Palam* autem ſic accipimus,paſſim,hoc eſt,ſine dilectu : non ſi qua adulteris,vel ſtupratoribus ſe committit : ſed quæ vicem proſtitutæ ſuſtinet.

2 ¶ Item, quod cum vno , & altero pecunia accepta commiſcuit , non videtur palam corpore quæſtum facere. 3 ¶ Octauenus tamen rectiſsimè ait,etiam eam,quæ ſine quæſtu palam ſe proſtituerit,debuiſſe his connumerari. 4 ¶ Non ſolum autem ea,quæ facit,verùm ea quoque,quæ fecit,& ſi facere deſiit,lege notatur.neq; enim aboletur turpitudo,quæ poſtea intermiſſa eſt.

5 ¶ Non eſt ignoſcendum ei , quæ obtentu paupertatis turpiſsimam vitam egit. 6 ¶ Lenocinium facere,non minùs eſt , quàm corpore quæſtum exercere. 7 ¶ Lenas autem eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt. 8 ¶ Lenam accipiemus & eam,quæ, alterius nomine , hoc vitæ genus exercet. 9 ¶ Si qua cauponam exercens,in ea,corpora quæſtuaria habeat.(vt multæ adſolent,ſub prætextu inſtrumenti caupon.) , proſtitutas mulieres habere ) dicendum, hanc quoque lenæ appellatione contineri.

10 ¶ Senatus cenſuit , non conueniens eſſe vlli ſenatori,vxorem ducerè, aut retinere damnatam publico iudicio:quo iudicio cuilibet ex populo experiri licet,niſi ſi cui lege aliqua accuſandi publico iudicio non eſt poteſtas.

11 ¶ Si qua calumniæ iudicio damnata ſit ex cauſa publici iudicij, & quæ præuaricationis damnata eſt,publico iudicio , damnata eſſe non videtur.

12 ¶ Quæ in adulterio deprehenſa eſt, quaſi publico iudicio damnata eſt. Proinde ſi adulterij condemnata eſſe proponatur:non tantùm , quia deprehenſa eſt,erit notata , ſed quia & publico iudicio damnata eſt. Quod ſi non ſit deprehenſa damnata autem:idcirco notetur , quia publico iudicio damnata eſt. At ſi deprehenſa quidem ſit,damnata autem non ſit:notata erit. Ego puto,etſi abſoluta ſit poſt deprehenſionem,adhuc tamen notam illi obeſſe debere: quia verum eſt,eam in adulterio deprehenſam:quia factum lex,non ſententiam notauerit. 13 ¶ Non adÌcitur hic,vt in lege Iulia de adulteriis, à quo,vel vbi deprehenſam. proinde ſiue maritus,ſiue quis alius deprehendiſſe proponatur:videtur notata. ſed & ſi non in domo mariti,vel patris ſui deprehenſa ſit;erit notata ſecundùm verba legis.

44. *Paulus* libro 1.ad Legem Iuliam & Papiam.

LEge Iulia ita cauetur. 1 *Qui ſenator eſt,quive filius,nepoſve ex filio;pronepoſve ex filio nato,cuius eorum eſt,erit:ne quis eorum,ſponſam,vxorémve ſciẽs dolo malo habeto libertinam;aut eam,quæ ipſa,cuiúſve pater,matérvè artem ludicram facit, fecerit.* 2 *Néve ſenatoris filia;neptiſve ex filio,proneptiſve ex nepote, filio,nato,nata;libertino;sive,qui ipſe , cuiúſve pater, matérve artem ludicram facit,fecerit;ſponſa , nuptáve ſciens dolo malo eſto.* 3 *Néve quis eorum dolo malo ſciens ſponſam,vxorémve eam habeto.* 1 ¶ Hoc capite prohibetur ſenator libertinã ducere,eámve,cuius pater,matérve artẽ ludicram fecerit. item libertinus ſenatoris filiam ducere. 2 ¶ Non obeſt,auum & auiã artem ludicram feciſſe. 3 ¶ Nec diſtinguitur,pater in poteſtate habeat filiam,nécne.tamen,iuſtum patrem intellegendum,Octauenus ait : matrem,etiamſi vOlgò conceperit. 4 ¶ Item nihil refert,naturalis ſit pater,an adoptiuus. 5 ¶ An & is noceat , qui,antequàm adoptaret,artem ludicram fecerit : atque ſi naturalis pater,antequàm filia naſceretur,fecerit? & ſi huius notæ homo adoptauerit , deinde emancipauerit,an non poſsit duci , ac ſi talis pater naturalis deceſsiſſet? Sed de hoc caſu contrariam legis ſententiam eſſe,Pomponius rectè putat, vt eis non connumeretur. 6 ¶ Si poſtea ingenuæ vxoris pater,matérve artem ludicram facere cœperit : iniquiſsimum

eſt, dimittere eam debere, cùm nuptiæ honeſtæ contractæ ſint, & fortaſſe iam liberi procreati ſint.

7 ¶ Planè ſi ipſa artem ludicram facere cœperit, vtiq; dimittenda erit. 8 ¶ Eas; quas ingenui cæteri prohibentur ducere vxores, ſenatores non ducent.

45. *Vlpianus* libro 3. ad Legem Iuliam & Papiam.

IN eo iure; quod dicit, *Inuito patrono libertam, quæ ei nupta eſt, alij nubere non poſſe*; patronum accipimus (vt reſcripto Imperatoris noſtri, & Diui patris eius continetur) & eum, qui hac lege emit, vt manumittat. quia manumiſſa, liberta emptoris habetur.

1 ¶ Qui autem iurauit ſe patronum, hoc idem non habebit. 2 ¶ Ne is quidem debet habere, qui non ſuis nummis comparauit. 3 ¶ Planè ſi filiusfamilias miles eſſe proponatur: non dubitamus, ſi caſtrenſis peculij ancillam manumiſerit, competere ei hoc ius. eſt enim patronus ſecundum conſtitutiones. nec patri eius hoc ius competit.

4 ¶ Hoc caput ad nuptam tantum libertam pertinet: ad ſponſam non pertinet. & ideo, inuito patrono, nuntium ſponſa liberta ſi miſerit, cum alio connubium habet. 5 ¶ Deinde ait lex, *inuito patrono*. inuitum accipere debemus eum, qui non conſentit ad diuortium. idcirco nec à furioſo diuertendo, ſoluit ſe huius legis neceſsitate: nec ſi ab ignorante diuorterit. rectius enim hic inuitus dicitur, quàm qui diſſenſit. 6 ¶ Si ab hoſtibus patronus captus eſſe proponatur: vereor, ne poſsit ita connubium habere nubendo: quemadmodum haberet, ſi mortuus eſſet. Et qui Iuliani ſententiam probant, dicerent, non habituram connubium. putat enim Iulianus, durare eius libertæ matrimonium etiam in captiuitate, propter patroni reuerentiam. Certè ſi in aliam ſeruitutem patronus ſit deductus, procul dubio diſſolutum eſſet matrimonium.

46. *Gaius* libro 8. ad Legem Iuliam & Papiam.

ILlud dubitationis eſt; an & qui communem libertam vxorem duxerit, ad hoc ius admittatur. Iauolenus negabit: quia non propriè videtur eius liberta, quæ etiam alterius ſit. aliis contrà viſum eſt: quia libertam eius eſſe negari nõ poteſt, licet alterius quoque ſit liberta. quam ſententiam plerique rectè probauerunt.

47. *Paulus* libro 2. ad Legem Iuliam & Papiam.

SEnatoris filia; quæ corpore quæſtum, vel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit; impunè libertino nubit. nec enim honos ei ſeruatur; quæ ſe in tantum (fœdus) deduxit.

48. *Terentius Clemens* libro 8. ad Legem Iuliam & Papiam.

FIlio patroni in libertam paternam eandemq; vxorem idem iuris, quod ipſi patrono daretur, ex ſententia legis accommodatur. Idemq; dicendum erit, & ſi alterius patroni filius, viuo altero, libertam eorum vxorem duxerit. 1 ¶ Si ignominioſam libertam ſuam patronus vxorem duxerit: placet: quia contra legem maritus ſit, non habere eum hoc legis beneficium. 2 ¶ Si vni ex filiis adſignatam alter vxorem duxerit: non idem ius, quod (in) patrono tribuendum. nihil enim iuris habebit. quia ſenatus omne ius libertorum adſignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit.

49. *Marcellus* libro 1. ad Legem Iuliam & Papiam.

OBſeruandum eſt, vt inferioris gradus homines ducant vxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. at contrà, antecedentis gradus homines non poſſunt eas ducere, quas his, qui inferioris dignitatis ſunt, ducere non licet.

50. *Idem* libro 3. ad Legem Iuliam & Papiam.

PRoximè conſtitutum dicitur: vt; cùm quis libertã ſuam duxerit vxorem, quam ex fideicommiſſi cauſa manumiſerit; liceat libertæ, inuito eo, nuptias contrahere. puto; quia non erat ferendus is, qui ex neceſsitate manumiſit, non ſuo arbitrio. magis enim debitam libertatem præſtitit, quàm ſuum beneficium in mulierem contulit.

51. *Licinnius Rufinus* libro 1. Regularum.

MAtrimonij cauſa ancilla manumiſſa, à nullo alio vxor duci poteſt, quàm à quo manumiſſa eſt, niſi patronus matrimonio eius renuntiauerit.

1 ¶ Si autem filiusfamilias, matrimonij cauſa, iuſſu patris, ancillam manumiſerit: Iulianus putat, perinde eam haberi, atq; ſi à patre eius manumiſſa eſſet. & ideo poteſt eam vxorem ducere.

52 *Paulus* libro 6. ad Sabinum.

INceſtæ nuptiæ neq; dotem habent. & ideo omne quod perceptum eſt, licet fructuum nomine, aufertur.

53. *Gaius* libro 11. ad Edictum Prouinciale.

NVptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorúmve ſunt: ſiue proximi, ſiue vlterioris gradus ſint, vſq; ad infinitum.

54. *Scæuola* libro 1. Regularum.

ET nihil intereſt, ex iuſtis nuptiis cognatio deſcendat, an verò non. nam & vulgò quæſitam ſororem quis vetatur vxorem ducere.

55. *Gaius* libro 11. ad Edictum Prouinciale.

QVin etiam nefas exiſtimatur, eam quoq; vxorẽ ducere, quæ per adoptionem filia, neptísve eius cœperit. in tantum, vt, etſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem iuris maneat. 1 ¶ Patris adoptiui mei matrem, aut materteram, aut neptem ex filio, vxorem ducere non poſſum: ſcilicet ſi in familia eius ſim. alioquin, ſi emancipatus fuero ab eo, ſine dubio nihil impedit nuptias; ſcilicet quia poſt emãcipationem extraneus intellegor.

56. *Vlpianus* libro 3. Diſputationum.

ETiam ſi concubinam quis habuerit ſororis filiã, licet libertinam, inceſtum committitur.

57. *Marcianus* libro 1. Inſtitutionum.

QVi in prouincia officium aliquid egerit, prohibetur etiam conſentire filio ſuo vxorem ducẽti. 1 ¶ In libro ſecundo de adulteriis Papiniani Marcianus notat: Diuus Marcus & Lucius Imperatores Flauiæ Tertullæ per Menſorem libertum ita reſcripſerunt: Mouemur & temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuiſti, & quod ab auia tua collocata es, & numero liberorum veſtrorum. idcircoq; cùm hæc omnia in vnum concurrunt, confirmamus ſtatum liberorum veſtrorum in eo matrimonio quæſitorum, quod ante annos quadraginta contractum eſt, perinde atq; ſi legitimè concepti fuiſſent.

58. *Marcianus* libro 4. Regularum.

A Diuo Pio reſcriptum eſt; ſi libertina ſenatorem deceperit quaſi ingenua, & ei nupta eſt: ad exẽplum prætoris edicti, dandam in eam actionem. quia ex dote nullum lucrum habet, quæ nulla eſt.

59. *Paulus* libro ſingulari de indignatione libertorum.

SEnatuſconſulto; quo cautum eſt, ne tutor pupillã vel filio ſuo, vel ſibi nuptum collocet; etiam nepos ſignificatur.

60. *Idem* libro ſingulari ad orationem Diui Antonini & Commodi.

SI quis tutor quidẽ non ſit, periculum tamẽ tutelæ ad eũ pertineat: an ſentẽtia orationis cõtineatur? veluti ſi pupilla ab hoſtib. capta fuerit, aut falſis allegationib. à tutela ſe excuſauerit, vt ex ſacris conſtitutionibus periculum ad eum pertineat. & dicendum eſt, hos quoque ad ſenatuſconſultum pertinere. nam & huiuſmodi periculum in numerum triũ tutelarum computari, comprobatum eſt. 1 ¶ Sed ſi

propter



propter alterius perſonam periculum ad eum peruenit: videamus, ne extra ſententiam ſenatuſconſulti ſit. veluti ſi magiſtratus in tutelæ periculum inciderit: vel fideiuſſerit quis pro tutore, vel curatore. quia nec in numerum trium tutelarum hæc imputantur. & conſequens eſt, hoc probare.

2 ¶ Quid ergo, ſi honoris cauſa tutor datus ſit? quatenus nec huiuſmodi tutela in numerum computatur, numquid idem ſit? ſed ratio in contrariũ ducit: quod dictum eſt, & honorarium tutorem periculum ſolere pati, ſi male paſſus ſit adminiſtrari tutelam.

3 ¶ Quin autem ille, qui, cùm datus eſt tutor, ceſſat in adminiſtratione, pertineat ad orationem: non eſt dubitandum. quia perinde tenetur ex ſacris conſtitutionibus, atque ſi geſſiſſet.

4 ¶ Quid ergo ſi, cùm te velles excuſare aliquo titulo, nec in promptu probationes haberes, excuſationis negotium fuerit dilatum, & inter moras pupilla adoleuerit? an ad ſenatuſconſultum pertineat? quæſtio in eo eſt, an & poſt pubertatem officio finito excuſationem eius recipi oporteat. nam ſi recipitur, & excuſauerit: impunè poteſt ducere. ſi verò non debeat recipi poſt officium finitum, nõ rectè ducit. Et ait Papinianus libro quinto reſponſorum, officio finito excuſationem recipi non oportere, & ideo exacti temporis periculum ad eũ pertinere, ſed mihi hoc nequaquam placet. iniquũ enim eſt, propter dilationem, quæ forte non dolo, ſed quæ ex neceſſitate contingit, non excuſati, vel nuptias impediri excuſatione recepta.

5 ¶ Quamuis verbis orationis cautum ſit, ne vxorem tutor pupillam ſuam ducat: tamen intellegendum eſt, ne deſponderi quidem poſſe. nam cum qua nuptiæ contrahi non poſſunt, hæc plerumque ne quidem deſponderi poteſt. nam quæ duci poteſt, iure deſpondetur.

6 ¶ Quid ergo, ſi adoptiuus filius tutoris duxerit pupillam illicite, poſteaque emancipatus fuerit? credendum eſt, de adoptiuis emancipatis ſenatum non ſenſiſſe: quia poſt emancipationem in totum adoptiuæ familiæ obliuiſcuntur.

7 ¶ Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, ſenatuſconſulto continentur.

8 ¶ Quid ergo, ſi tutor datus prouocauit, & poſtea heres eius victus eſt? præteriti temporis periculum præſtare debet? an verò, ſi filius heres fuerit, & victus eſt, ad orationem pertineat: & conſequens eſt, hoc probare: quoniam rationem debet reddere.

61. *Papinianus* libro 32. Quæſtionum.

DOte propter illicitum matrimonium caduca facta. exceptis impenſis neceſſariis, quæ dotem ipſo iure minuere ſolet: quod iudicio de dote redditurus eſſet maritus, ſoluere debet.

62 *Idem* libro 4. Reſponſorum.

QVamquam in arbitrio matris pater eſſe voluerit, cui nuptum filia communis collocaretur: fruſtra tamen ab ea tutor datus eligetur. neque enim intellegitur pater de perſona tutoris cogitaſſe: cum ideo maxime matrem prætulit, ne filiæ nuptias tutori committeret. 1 ¶ Mulier liberto viri ac patroni ſui mala ratione coniungitur.

2 ¶ Tutor, qui rationes curatori reddidit, puellam ſuam ante conſtitutum tempus ætatis eius vxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, poteſt.

63. *Idem* libro 1. Definitionum.

PRæfectus cohortis, vel equitum, aut tribunus, contra interdictum, eius prouinciæ duxit vxorem, in qua officium gerebat, matrimonium non erit. quæ ſpecies pupillæ comparanda eſt: cum ratio potentatus nuptias prohibuerit. Sed an huic quoque, ſi virgo nupſit, non ſit auferendum, quod teſtamento relictum eſt, deliberari poteſt. exemplo tamen pupillæ nuptæ tutori: quod relictum eſt, poteſt mulier conſequi pecuniam tamen in dote datam mulieris heredi reſtitui neceſſe eſt.

64. *Calliſtratus* libro 2. Quæſtionum.

LIbertum, eundemque tutorem pupillæ: eo quod in matrimonium collocata ipſi tutori ſuo, vel filio eius eſt: ſenatus relegandum cenſuit.

1 ¶ Senatuſconſulti, quo prohibentur tutores, & filij eorum pupillas ſuas ducere, puto heredem quoque tutoris extraneum, ſententia adprehendi. cùm ideo prohibuerit huiuſmodi nuptias ne pupillæ in re familiari circumſcribantur ab his, qui rationes eis geſtæ tutelæ reddere compelluntur.

2 ¶ Tutor autem pupilli non prohibetur filiam ſuam collocare pupillo ſuo in matrimonium.

65. *Paulus* libro 7. Reſponſorum.

EOs, qui in patria ſua militant, non videri contra mandata ex eadem prouincia vxorem ducere. idque etiam quibuſdam mandatis contineri.

1 ¶ Idem eodem reſpondit: mihi placere, etſi contra mandata contractum ſit matrimonium in prouincia: tamen poſt depoſitum officium, ſi in eadem voluntate perſeuerat: iuſtas nuptias effici: & ideo poſtea liberos natos ex iuſto matrimonio, legitimos eſſe.

66. *Idem* libro 2 Sententiarum.

NOn eſt matrimonium: ſi tutor, vel curator pupillam ſuam intra vicenſimum & ſextum annum non deſponſam à patre, nec teſtamento deſtinatam, ducat vxorem: vel eam filio ſuo iungat. quo facto vterque infamatur: & pro dignitate pupillæ extra ordinem coërcetur. nec intereſt, filius ſui iuris, an in patris poteſtate ſit.

1 ¶ Curatoris libertum eam pupillam, cuius patronus res adminiſtrat, vxorem ducere, ſatis iuſt ciuile eſt.

67. *Tryphoninus* libro 9. Diſputationum.

NOn ſolum viuo tutore, ſed & poſt mortem eius, filius tutoris ducere vxorem prohibetur eam, cuius tutelæ rationi obſtrictus pater fuit. nec puto intereſſe: extiterit ei heres filius: an abſtinuerit paterna hereditate: an nec heres fuit, forte exheredatus: aut præteritus emancipatus nam & fieri poteſt, vt per fraudem in eum collocata bona patris propter tutelam, reuocari oporteat.

1 ¶ De vno dubitari poteſt: ſi auus tutelam geſſit neptis ex filio emancipato natæ: an nepoti ex altero filio eam collocare poſſit, ſiue emancipato, ſiue manenti in poteſtate: quia par affectionis cauſa, ſuſpicionem fraudis amouet: ſed etſi ſenatuſcõſultum ſtrictò iure contra omnes tutores nititur: attamen, ſummæ affectioni aui intuitu, huiuſmodi nuptiæ concedendæ ſunt.

2 ¶ Sed & ſi filiusfamilias tutor puellæ, vel curator fuit: puto, vel magis patri eius non oportere eam nubere, numquid nec fratri, qui eſt in eiuſdem poteſtate?

3 ¶ Sed videamus: ſi Titij filius duxerit vxorem eam, quæ tua pupilla fuit: deinde Titium, vel filium eius adoptaueris: an peremantur nuptiæ, vt in genero adoptato dictum eſt: an adoptio impediatur, quod magis dicendum eſt: etſi curator, dum gerit curam, adoptauerit maritum eius puellæ, cuius curator eſt. nam finita iam tutela, & nupta puella alij, vereor, ne longum ſit, adoptionem mariti eius impedire: quaſi propter hoc interponatur, vt ratio tutelæ reddendæ cohibeatur. quam cauſam prohibitionis nuptiarum contrahendarum oratio diui Marci continet. 4 ¶ Et ſi quis curator ventri bonisque datus ſit: prohibitionem eiuſdem ſenatuſconſulti inducit. nam & hic debet rationem reddere. nec ſpatium adminiſtrationis mouere nos debet: quia nec in tutore, nec curatore diſcrimẽ maioris aut minoris temporis, quo in huiuſmodi munere quis fuerit, habitum eſſe. 5 ¶ Si puellæ tutelã Titius adminiſtrauit, vel curator negotia geſſit: eaque nondũ recepta ratione, deceſſit, filia herede relicta: quærẽti, an eã filio ſuo poſſet Titius collocare in matrimoniũ, dixi poſſe: quia ratio heredi-